Horn.)

HADRIANI RELIQUIAE

PARTICULA I

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE II MENSIS IULII ANNI MDCCCLXXXIII HORA XII PUBLICE DEFENDET AUCTOR

SEBASTIANUS DEHNER
ZOLLERANUS

ADVERSARII ERUNT

GUSTAVUS HEEP
GUILELMUS SCHURZ
FRIDERICUS MARCKS

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI UNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXIII

FRANCISCO BUECHELER
EDUARDO LUEBBERT
HERMANNO USENER

adlocutionum legionis III Augustae auxiliorumque fragmenta.

Ab . . . . *r*]etis pro causa ves[*tra. legatus meus quae excu sa*]nda vobis aput me fuissent, omnia mihi pro vobis ipse di[*xit: quod*] cohors abest, quod omnibus annis per vices in officium pr[*ocon*] sulis mittitur, quod ante annum tertium cohortem et qua[*ternos*] ex centuris in supplementum comparum tertianorum dedis tis, quod multae quod diversae stationes vos distinent, quod nostra memoria bis non tantum mutastis castra sed et nova fecis tis. ob haec excusatos vos hab[*erem, si militia*] diu exercitatione cessas set. sed nihil aut cessavi[*sse videtur, aut est ulla causa, cur a*] vobis excusatione[*m accipiam. omnia strenue fecistis, cum et defende*] retis va[*llum* . . . .[et] . . . .

'1 in. ET hodie perierunt. — 2 in. /VDA, 4 fin. QV//, 8 VOS OM ///////// ON EXERCITATIONE, 11 RETISSVA Renierus' Wilmanns. idem legit: et is — ves[*tra*] — . . . . [*quae dice*]nda — di[*xit: quod*] — pr[*ocon*]sulis — qua-[*ternos*] — hab[*endos, cum legio*] — cessavi[*stis exercitatione aut commisistis, cur*] vobis excusatione [*aput me opus esset*]. — desunt ante 'etis' fere 16 litterae, post 'ves' f. 22 l., ante 'nda' f. 2, post 'di' f. 8, post 'pr' f. 8, post 'qua' f. 6, post 'hab' f. 12, post 'cessavi' f. 34, post 'excusatione' f. 39, post 'va' f. 48.

Ba . . . . [*rium perva* . . . . (*m*)*iliti* . . . *e*] vide[*tur attendi*]sse vobis. primi ordines et centuriones agiles [*pro mo*]re suo fuerunt.

eq. leg.

[*exe*]rcitationes militares quodam modo suas leges [*ha*]bent, quibus si quit adiciatur aut detrahatur, aut minor [*exer*]citatio fit aut difficilior. quantum autem difficultatis [*additur, t*]antum gratiae demitur. vos ex difficilibus difficil[*limum fecistis,*] ut loricati iaculationem perageretis [*petrinam. gratiam laud*]o, quin immo et animum probo [*adhibendum ludo non sine periculo*] . . . .

'1 ||||||||||| RVM |||||||||| VDE, 4 et 11 omisit Renierus. initio v. 8 litterae AN hodie perierunt.' W. W. legit: . . . . (*tribuni* . . . . *sollicite*) vide[*antur attendi*]sse — [*pro mune*]re suo — |:'agiles [*et fortes mo*]re suo' Mommsen:| — [*exe*]rcitationes — [*ha*]bent — [*exer*]citatio — [*additur, t*]antum — difficil[*limum fecistis,*] ut — peragerctis. [*neque factum solum laud*]o —
v. 1 sic fere se habet: . . . . RIVMILRVAIII . . . . . . ILIII I LVIDE
v. 11 sic fere se habet: . . . . FIIII PIII FII . .
desunt ante 'rium' fere 12 litterae, inter VAIII et ILIII I f. 14 l., ante 'sse' f. 10, ante 're suo' f. 5, ante 'rcitationes' 3, ante 'bent' 2, ante 'citatio' 4, ante 'antum' f. 8, ante 'ut' f. 14, ante 'o quin' f. 20, ante FIII f. 32 (v. 11).

Aa . . . . [*Catullinum leg. meum c. v. laudo, quod omni*]bus, quibus praeest, parem curam suam exhib[*ere voluit.* . . . . . . *prae*]fectus vester sollicite videtur vobis attendere. congia[*rium dupl*]um accipite viatoriam in Commagenorum campos Alleti . . . . . .

eq. coh. VI Commagenorum.

difficile est cohortales equites etiam per se placere, difficilius post alarem exercitationem non displicere: alia spatia campi, alius iaculantium numerus, frequens dextrator, Cantabricus densus, equorum forma, armorum cultus pro stipendi modo. verum vos fastidium calore vitastis strenue faciendo, quae fieri debe

bant. addidistis, ut et lapides fundis mitteretis et missilibus confligeretis. saluistis ubique expedite. Catullini leg. mei c. v. [*unica cura*] apparet, quod tales vos sub[*ito*] . . . .

'3 fin. ALLIT . ., 8 fin. VERVS, 12 omisit Renierus.' W. idem supplevit: '[*Catullinus leg*(*atus*) *meus c*(*larissimus*) *v*(*ir*) *copiis omni*]bus, quibus', 'exhib[*et*; . . (*ille*) . . . *prae*]fectus', 'congiar[*i n*(*omine*) *HS*] V m(*illia*)', 'Alleti[*nos*]', '[*insignis cura*] apparet', 'vos sub'. exciderunt post 'exhib' f. 20 litt., post 'congiaı' f. 7, post 'Alletı' f. 7, ante 'apparet' f. 10, post 'sub . . .' f. 21.
v. 12: . . . . APPARET QVOD TALES VOS SVBIT O

Bb . . . . [*me*]tationis . . . . [*munitiones quas*] alii [*per*] plures dies divisis[*sent, vos e*]as uno die peregistis. murum lo[*ngi*] operis et qualis mansuris hibernaculis fieri solet, non [*mul*]to diutius exstrucxistis, quam caespite exstruitur, qui m[*o*]dulo pari caesus et vehitur facile et tractatur et sine mo[*les*]tia struitur ut mollis et planus pro natura sua: vos lapi[*dibus*] grandibus gravibus inaequalibus, quos neque vehere n[*e*]que attollere neque locare quis possit, nisi ut inaequa[*lita*]tes inter se conpareant. fossam glaria duram scabram[*que*] recte percussistis et radendo levem reddidistis. opere pr[*o*]bato intro gressi castra raptim et cibum et arma cepistis, equitem emissum secuti magno clamore revertentem per

'1 omisit, 2 DIV ///////////// OS Ren.' W. idem legit init. frgm. '[*exerci*]tationis' et '(*munitionis*) [*quas*] alii [*per*]' et 'divisis[*sent*, *e*]as', fine 'cepistis, [*mox*], equitem' et 'revertentem per [*avia excepistis hostemque insequentem repressistis*].' cetera suppl. idem.
v. 1 sic fere extat: TATIONIS . . . . ALII . . .
exciderunt inter 'tationis' et 'alii' 37 f. litt., inter 'divisis' et 'as' f. 8. ceterae lacunae facile supplentur.

Da . . . . [*fe*]cistis et manibus non languidis id . . . . [*no*]n ad signum miseritis, quod iam hostis [*ceperat*] . . . . m vos mittendi saepius et instantius . . . . [*ho*]stis ultra sc[*amn*]a non audeat cast

[*ra ingredi*] . . . . tarde iunxistis . . . .
. . . . [*e*]t erumpetis v[*alidi*]
. . . . di . . . .

'1 in. //// ISTIS, fin. LANGVIDIS ET Ren.; aut ut dedi aut LANGVIDI SED legendum. — 4 aut SCA //// A, quod dedit Renierus, aut SCVI//// A legendum; fin. T hodie periit. — 7 omisit Renierus.' W. idem indicat excidisse ante 'cistis' fere 29 litteras, ante 'n ad' f. 29, ante 'm vos' f. 29, ante 'stis' f. 30, ante 'tarde' f. 42, ante 't erumpetis' 46, ante 'di' 49. sed W. videtur nimis multas indicare (ante 'cistis' puto fere 20 etc.). post 'iunxistis' desunt f. 4, post 'erumpetis v' f. 7, post 'di' f. 10.

C . . . . [*no*]n. Iul. coh. II H[*ispanorum.*]
. . . . ra vobis refragata s . . . .
. . . . [*ec*]us in campo iusto s . . . .
. . . . [*q*]uis ipsis in . . . .

'[*no*]n' et 'H[*ispanorum*]' W. videntur excidisse ante 'ra vobis' fere 14 litt., post 'refragata s' f. 14—16.

Db . . . . [*Catullinum leg. meum c. v.*]
laudo, quod convertuit vos ad hanc exercita[*tionem, quae verae di*]
micationis imaginem accepit, et sic exercet, [*ut* . . . . *lau*]
dare vos possim. Cornelianus praefectus ves[*ter officio suo sa*]
tis fecit. contrari discursus non placent mih[*i nec Augusto, qui novae artis*]
est auctor. e tecto transcurrat eques et pe[*rsequatur caute. nam si non*]
videt, qua vadat, aut, si voluerit, ecum r[*etinere nequit, non potest,*]
quin sit obnoxius caliculis tectis . . . . [*si*
vul]tis congredi, debetis concurr[*ere* . . . . *impetus*
et]iam adversus hosti facienda[*m impressionem adiuvabit*] . . . .
[*n*]on. Iul. Zarai coh. . . . .
. . . . retis et di . . . .

'1 ERTVIT hodie perierunt.' W. idem legit: '[*Catullinum leg*(*atum*) *meum c*(*larissimum*) *v*(*irum*)] laudo' et 'exercita[*tionem, quae veram di*]micationis' et 'sic exercet, [*ut magnopere etiam lau*]dare' et 'ves[*ter officio suo sa*]tisfecit' et 'contrari(i)' et 'mih[*i. Caveat temere, M. Cato*] est' et 'pe[*rse-*

quantur caute. Nam nisi] videt' et 'e(qu)um r[*etineat, fieri non potest,*] quin' et 'tectis [*atque foveis fossisque occul*]tis' et 'concurr[*endo*]' et '[*n*]on(is) Iul(iis)' et 'coh(ors) [*I Fl(avia) eq(uitata)*].' Buecheler suppl. v. 4 (cf. Veg. I, 8) et v. 9.

v. 11: . . . . . IC P II RETISETDI . . . .

desunt post 'exercita' et 'exercet' et 'ves' et 'mih' et 'pe' fere 20 litt., post 'r' f. 23, post 'tectis' f. 28, post 'concurr' et 'facienda' f. 32 (W.), ante 'tis' f. 3, ante 'iam' f. 3, post 'di' f. 35, ante 'retis' f. 17.

E . . . . i si erat e

. . . . [*om*]nium ordi

. . . . e multa fe

[*cistis*] . . . . [*claris*]simi viri

W. supplevit '[om]' et '[claris]'. v. 4 'fe[*cistis*]' Buech.

commentatio.

titulum primus edidit Renierus (inscript. rom. de l'Alg. 5) inventum in Numidia, Lambaesi, in castris. denuo contulit Wilmanns (CIL VIII, 2532). Aa, Ab cetera Wilmannsi signa sunt. de ordine fragminum (certum est Ab a Ba excipi, C ante Db dictum videtur esse p. 25, de ceteris non constat), de litteris (gracilibus etc.), de Catullino legato (cos. 130), de diebus (non. Iul.), de locis (Zarai), ceteris vide adnotata CIL VIII, 2532. de tempore tituli v. Duerri librum 'die reisen des kaisers Hadrian' (abhdlgn d. arch. epigr. sem. d. univ. Wien II, 1881), qui probabile duxit (p. 40) Hadrianum anno 128 in Africa fuisse [contra Mommsen (CIL VIII praef. p. XXI) ob titulum 2533 Hadriano anno 129 dedicatum praefert annum 129]. de Numidia cf. Marquardti roem. staatsverw. I p. 305 sqq., de eius re militari CIL VIII praef. p. XIX sqq.

orthographiae nomine memoro: aput (Ab 2), quit (Ba 6); ecum (Db 6); caespite (Bb 4, cf. Plac. gloss. p. 23 ed. Deuerl.); stipendi (Aa 8); contrari (Db 4); centuris (Ab 5; cf. 'colonis' in mon. Anc. c. 15, v. Bergk in comment. p. 51); glaria, vulgo 'glarea' [cf. Ribb. proll. Verg. p. 417. Charis. p. 70, 27 K.].

nominatur titulus vulgo 'oratio Lambaesitana'; sed neque est una oratio neque uno loco unove tempore habita, sunt plures non orationes sed adlocutiones.

adlocutionis exempla praeter rerum scriptores praebent statuae, col. Trai., nummi apud Eckh. VI, 221. 268. 503; VII, 401. 503. 512. cf. Fronto p. 206 ed. Nab., Hyg. c. 11. ab Onasandro I, 13 praescribitur, ut dux eligendus sit dicendi peritus (ἱκανὸς λέγειν). cf. Xenoph. ἱππαρχικός 8, 22. Leo tact. ed. Meurs. II, 33; VII, 20. anonym. Byzant. rhetor. milit. 51. 54 (ed. Koechly in progr. Turic. 1856).

4b v. 1. Wilmanns legit: 'et is (sc. legatus), pro causa ves[*tra* . . . . .. *quae dice*]nda vobis aput me fuissent, omnia mihi pro vobis ipse di[*xit*: *quod*]'. sed cum verba 'pro causa vestra' si cum enuntiato relativo coniunguntur, ob positionem admodum ictu leventur, debeant vero carere — si enim abessent, non desiderarentur — Hadrianus male verba posuisset. neque tamen cum verbo quod est 'di[*xit*]' coniungi possunt, quod haec eveniret coniunctio: 'pro causa vestra pro vobis dixit'. itaque separanda sunt 'et is pro causa vestra' ab eis quae secuntur. quae cum ita sint 'etis' non iam putandum erit 'et is' nec supplendum 'legatus', sed terminatio verbi cuiusdam (. . . . etis, coni. impf. II pers. pl.) referendi ad milites (e. g. [*proferr*]etis). post 'vestra' igitur graviter interpungendum est. omitto ex Wilmannsio quaerere, quomodo reliquam lacunam supplendam esse censeret, si recte legisset. nam vix quicquam desideraretur.

1. 2. '[*dice*]nda' Wilmanns. '[*excusa*]nda' ego. Hadrianus enim mihi apte alia de legato alia de militibus usurpare verba et structuram videtur: ille dicit, hi excusant: ille dicit imperatori, hi excusant aput imperatorem. praeterea ea quae secuntur 'quod cohors abest, quod . . . dedistis, quod . . . distinent' cet. non per 'quod' debebant enuntiari, si antecederet 'dicenda' sed per acc. c. inf. — tempore enim iam Hadriani urbanos dixisse 'dicere quod' nemo, puto, contendet —; neque ea imperatori dicenda erant, nam imperator ipse non ignorabat; at poterant proferri, ut quibus excusarentur milites. ut enim dicitur 'excusare propinquitatem, imbecillitatem' sic hoc loco excusari poterant et absentia cohortis et q. s. adferre autem ea licebat aut per substantiva aut per 'quod'. quia per substantiva enuntiari non poterant (et quod deficiunt et quod Latinis non aeque ac nobis talia amantur substantiva), Hadrianus omnes causas concinne per 'quod' elocutus est. — explosimus quidem supra Wilmannsi 'et is' sed non legatum. eum enim qui 'dixit', legatum esse nemo non videt. igitur sic fere legendum erit, ut dedimus. utrum 'nam' an potius 'sed' subaudiendum sit, cum ratio structurae enuntiati antecedentis perspici nequeat, diiudicare non licet.

2. 'fuissent' dicens Hadrianus magis quam si dixisset 'fuerant', declarat milites sese excusare non debere.

3. 'cohors abest, quod . . . . . mittitur'. cave putes hoc 'quod' esse idem atque cetera quae prope leguntur. necesse videtur esse Hadrianum cogitemus enuntiatum 'quod . . . . . mittitur' quasi per parenthesin elocutum esse vel potius quasi veritum, ne si diceret 'cohors quae

mittitur' significaret quotannis eandem cohortem missam esse. — de hoc legati Numidiae erga proconsulem Africae officio loquitur Marquardt I p. 309.

3. 'omnibus annis' pro quotannis vel singulis annis. cf. Cic. pro leg. Manil. § 31. id. de fin. II § 101 (quotannis . . . . omnibus mensibus). Ovid. ex Ponto II, 10, 43. Luc. VII, 422. Orelli tit. 736. Minuc. Fel. Oct. 21.

5. 'compares tertiani' intellegendi sunt aut legio III Gallica aut legio III Cyrenaica. nam tertia Italica a Marco Aurelio demum et tertia Parthica a Septimio Severo formatae sunt (Dio Cass. LV, 24).

6. 'quod multae quod diversae stationes vos distinent'. re vera multis et diversis stationibus milites leg. III Aug. distentos fuisse v. CIL VIII praef. p. XXII: stationes fuerunt Thalae, Bondjem, Gharia el-Gharbia, Cidami, Vazanis, Mena'a, Gemellis, Cazis.

7. 'quod nostra memoria bis non tantum mutastis castra sed et nova fecistis'. 'bis' ob positionem et 'mutastis castra' et 'nova fecistis' complectitur ita ut, quae castra bis mutaverunt milites, eadem nova fecerint, id quod Wilmanns non videtur perspexisse. cuius de binis castris Lambaesitanis errorem refutavit Mommsen (CIL VIII praef. XXI not. 4) ostendens Hadrianum locutum esse in veteribus castris, nova vero post Hadrianum aedificata videri. bina enim Lambaesi inveniuntur castra; iam cum in veteribus castris titulus hic inventus sit, Wilmanns efficere voluit Hadrianum milites adlocutum esse quidem in novis castris, in quae eo ipso tempore milites translati aut potius transferendi essent; sed ut castra iam iam relinquenda quasi quodam honore adficerent, ea, quae imperator dixisset, in veteribus castris lapidi incisa esse. sed iure obicit Mommsen imperatorem non dicere mutaturos esse milites castra sed mutavisse; neque veri simile esse eo loco adfixuros fuisse, qui iam mutandus esset. idem eodem loco, quod diceret Hadrianus 'nostra memoria', coniecit priorem mutationem fuisse post annum 76 p. C. n., quo anno Hadrianum natum esse constat, a Thevestinis castris in castra secunda adhuc ignota, alteram circa annum 123 in castra Lambaesitana vetera (eius enim temporis vetustissimi Lambaesitani tituli sunt).

8. 'ob haec excusatos vos hab[*endos, cum legio*] diu exercitatione cessasset'. Wilm. sed ecquando dictum est 'excusatus sum habendus'? et quis credet legatum imperatori quasi praescripsisse 'excusandos esse milites'? praeterea animadvertas Hadrianum non ex animo legati loqui. itaque ut antea imperator non usurpavit 'quod' cum coni., sic hoc loco vitandus erat accus. c. inf.

8. 'cessasset.' deflectit paullo Hadrianus a concinnitate orationis; exspectamus enim 'cessassetis'. de verbo cf. Liv. XXXXII, 6. Luc. IV, 24. (cum 'a et abl.' Liv. XXI, 8; V, 42. Veg. II, 24).

9. 'sed nihil aut cessavi[*stis exercitatione aut commisistis cur*] vobis excusatione [*aput me opus esset*].' W. sed 'exercitatione' non necessaria nimisque languida esset repetitio, nec sibi constaret Hadrianus dicens 'neque cessavistis neque'. audivit enim imperator ex legato (secundum Wilmannsi coniecturam) legionem exercitatione cessasse. et nimis contorte locutus esset Hadrianus 'vobis excusatione aput me opus est' et vix latine.

Ba Ba excipit Ab. utrumque enim ad milites legionis pertinet.

1. 2. 'vide[*antur attendi*]sse vobis.' W. sed spatium est tantum novem decemve litterarum. igitur rectius supplebis 'vide[*tur attendi*]sse vobis.' cf. Aa 2.

2. 3. 'agiles [*pro mune*]re suo'. W. 'agiles [*et fortes mo*]re suo' Mommsen (EE IV p. 239). uterque nimis multas litteras admittit. desunt enim tantum quinque. itaque scribo: 'agiles [*pro mo*]re suo.' cf. Bb 6: 'mollis et planus pro natura sua.' 'agiles more suo', quod et ipsum supplere possis, nimis paucas continet litteras. de vocabulo quod est 'agilis' cf. Veg. II, 14: 'centurio eligendus est . . . vigilans sobrius agilis.'

2. 'primi ordines et centuriones.' primos ordines Madvig (kl. phil. schr. p. 515) intellegit 'eine unbestimmte anzahl der aeltesten und obersten centurionen', Marquardt (II p. 360) decem priores triariorum centuriones. falsum utrumque esse demonstravit A. Mueller (Phil. XXXVIII p. 144) iudicans primos ordines esse primae cohortis sex centuriones; in eadem sententia est I. W. Foerster (de fide Fl. Vegetii p. 54). atque hoc certum mihi quoque videtur primae cohortis esse primos ordines. de numero quasi certus esset et senarius neuter dubitavit. attamen non certum esse ostendit Mommsen (EE IV p. 227) adstipulans Vegetio quinque centuriones in prima cohorte fuisse. non refragantur tituli; nam primus pilus posterior adhuc inventus non est. quorum quinque primae cohortis centurionum idem coniecit fuisse tres priores (i. e. primum pilum, principem priorem, hastatum primum) primos ordines (l. l. p. 240). 'res tamen in coniectura posita est neque de vocabuli explicatione adhuc constat.' mihi primi ordines non tres solum sed omnes primae cohortis centuriones, sive sex sive quinque fuerunt,

appellati' videntur esse, si quidem aliquid verbis inhaeret. ceterum titulo hoc primos ordines et ceteros centuriones nominari quasi diversi generis homines memorabile est.

4. 'eq. leg.' v. excursum de equitibus legionis sive legionariis aetatis imperatoriae infra subiunctum. quem ita instituimus, ut, quotquot testimonia occurrerent, conligeremus temporisque ordine enumeraremus, quod neque haec materies adhuc tractata est et cum ad coniecturas nonnullas profligandas tum ad alias res multum id valere ipse intelleges. tempus titulorum magnam partem nos definivimus; incerti quoque temporis titulos adscripsimus. quaestio vel ob eam rem digna mihi videbatur quae institueretur, quod viri docti equitibus legionis in constituenda re militari aetatis imperatoriae nimis abusi sunt. id velim imprimis cognoscas Vegetii fidem, quantum ad hanc rem pertinet (II, 6), examinatam et plane nullam inventam esse. sequitur ut quam Foerster fretus Vegetii de equitibus leg. testimonio (et M. Schanz Herm. XVI p. 137) Hadriano se vindicare posse ordinationem legionis putavit, fundamento careat.

9. 'loricati iaculationem.' de armatura equitum legionis v. Ios. b. Iud. III, 5, 5: *τοῖς δὲ ἱππεῦσι μάχαιρα μὲν ἐκ δεξιοῦ μακρὰ καὶ κοντὸς ἐπιμήκης ἐν χειρὶ, θυρεὸς δὲ παρὰ πλευρὸν ἵππου πλάγιος, καὶ κατὰ γωρυτοῦ παρήρτηνται τρεῖς ἢ πλείους ἄκοντες, πλατεῖς μὲν αἰχμὰς, οὐκ ἀποδέοντες δὲ δοράτων μέγεθος. κράνη δὲ καὶ θώρακες ὁμοίως τοῖς πεζοῖς ἅπασιν.* cf. Arr. a. tact. 4, 7. 8. 9. Lindenschmit tracht u. bewaffng. d. roem. heer. whrd. d. kaiserzt., 1882, p. 4.

9. 10. 'iaculationem perageretis . . . .' deesse adiectivum mihi videbatur referendum ad 'iaculationem' significans iaculationis genus quoddam perdifficile. nam magna laude atque admiratione dignum non fuit, si equites legionis loricati, ut esse solebant, simplicem solitamque iaculationem peregissent. cogitavi de iaculatione petrina. in excursione enim quadam optimi equites ordine relicto procurrunt paullum, tela emittunt in praeterequitantes, peragunt convertentes sese iaculationem, quae lingua Celtarum petrina dicitur, omnium difficillimam. Arr. a. tact. c. 37: (2) *μεταξὺ δὲ δὴ τοῦ τε δεξιοῦ κέρως τῆς τάξεως καὶ τῆς προβολῆς τοῖν δυοῖν ἱππέοιν ἐκ τοῦ ἀφανοῦς ἱππεῖς ἐκθέουσι, προϊππεύοντες μὲν αὐτοὶ τῆς οἰκείας τάξεως, ἀκοντίζοντες δὲ ἐς τοὺς παριππεύοντας· καὶ τούτοις ἐπ' ἀσπίδα ἡ ἐπίκλισις γίγνεται, καὶ ταύτῃ ἀφρακτότεροι παριππεύουσιν.* (3) *ἔνθα δὴ καὶ μάλιστα ἀγαθοῦ δεῖ τοῦ ἱππέως, ὡς ὁμοῦ μὲν ἐξακοντίζειν δυνατός τε γίγνηται ἐς τοὺς ἐπελαύνοντας, ὁμοῦ δὲ σκέπειν τὴν δεξιὰν πλευρὰν τῇ προβολῇ τοῦ*

ὅπλον. (4) καὶ ἐν μὲν τῇ παρελάσει ὁ κατὰ δεξιὰν ἐπιστροφὴν ἀκοντισμὸς ἀναγκαῖος αὐτῷ γίγνεται· ἐν δὲ τῇ παντελεῖ ἐπιστροφῇ ὁ πέτρινος δὴ ὀνομαζόμενος τῇ Κελτῶν φωνῇ, ὅς ἐστι πάντων χαλεπώτατος. non obstare videtur, quod tantum optimi equites (cf. c. 48 ὅ τι περ κράτιστον τῶν ἱππέων) ex equitantibus procurrunt et eam iaculationem peragunt. si enim imperator singillatim illos optimos nolebat laudare, omnibus equitibus eam laudem tribuere potuit. eius iaculationis difficultas eo maior videtur fuisse equitibus legionis, quod non armis levibus, ut solebat fieri in eiusmodi exercitationibus [cf. Arr. c. 34: (3) τὰ κράνη δὲ ταῦτα οὐ καθάπερ τὰ εἰς μάχην πεποιημένα πρὸ τῆς κεφαλῆς καὶ τῶν παρειῶν προβέβληται μόνον ἀλλὰ ἴσα πάντῃ τοῖς προσώποις ποιεῖται (num πρόςκειται?) τῶν ἱππέων ἀνεωγότα κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς — (5) καὶ θυρεοὺς δὲ φέρουσιν οὐχ ὥσπερ εἰς τὰς μάχας ἀλλὰ τῷ βάρει κουφοτέρους — (6) ἀντὶ δὲ τῶν θωράκων Κιμμερικὰ χιτώνια ἴσα καὶ ὅμοια τοῖς θώραξιν — (7) ἀναξυρίδας δὲ προςσφιγγομένας τοῖν σκελοῖν —; c. 38: ἀκοντίοις κούφοις διαχρῶνται], sed loricis ipsis sunt usi. licet concludere iacula quoque graviora eq. leg. in hoc exercitio adhibuisse similia eis, quae Arrianus in describendo cursu Cantabrico commemorat (c. 40 § 4): διαχρῶνται ξυστοῖς δόρασιν, ἀσιδήροις μὲν, τῷ βάρει δὲ οὔτε τοῖς ἐξακοντίζουσιν εὐφόροις οὔτε ἐφ' οὓς ἐκπέμπεται ἀκινδύνοις. unde vides ludos illos equestres (de hac re plura sub Aa) 'non sine periculo' fuisse. quod 'gratiam' laudatam ab Hadriano feci, cf. c. 40 § 7: ὅ τε γὰρ κτύπος ἀμέλει ἐκπληκτικὸς καὶ ὁ ἐξελιγμὸς ἐν τῷ τοιῷδε εὐσχήμων φαίνεται; cf. c. 34: ἐπὶ κάλλει τὰς μελέτας ποιούμενοι et ἐς ἡδονήν. quibus rebus efficiatur gratia vide c. 38.

de iaculatione equestri librum unum C. Plinium Secundum maiorem pari ingenio curaque composuisse, cum praefectus alae militaret, Plinius minor commemorat (epp. III, 5).

10. '[*neque factum solum laud*]o, quin immo et animum probo' W. cum non probaverit inveniri 'neque solum . . . quin immo et', licebit dubitare. neque minus 'factum' displicet.

Aa adloquitur imperator coh. VI Commagenorum, primum pedites dein equites; fuit igitur equitata (cf. Marq. II, 455). titulo elucet minimum sex cohortes Commagenorum fuisse. III, IV, V adhuc repertae non sunt (Hassencamp, de coh. Rom. aux. p. 38).

3\. de 'campis Alleti . . .' cum in libris Graecis Latinisque nihil invenissem, Gildemeisterum, litterarum orientalium professorem, adii. qui illas quoque litteras frustra se consuluisse respondit. 'fortasse huc pertinet purpura alitina Syriae in geographis Riesi p. 110, 21, quam Gothofredus ἀληθινήν interpretatur' (Buech.).

2\. 3. neque quid sibi velit Wilmannsi 'congiari nomine' intellego neque comma, quod posuit W. inter 'accipite' et 'viatoriam'. deinde 'quinque millia sestertium' (sic W.) aut singuli acceperint necesse est, quod nimis multum esse nemo erit qui infitias eat, praesertim cum monumento Ancyrano traditum sit Augustum dedisse ipsis veteranis congiarium idque triumphale singula dumtaxat milia sestertium (III, 17 [c. 15]), aut omnes pedites, quae sane fuisset admodum parca donatio; singuli enim, si cohors erat quingenaria, accepissent tredecim sestertios, aut, si miliaria, tantum sex. hoc vero non debebat appellari congiarium sed stipendium duplex vel triplex. quod tantum afuit ut esset viatoria in Commagenorum campos Allet., ut, priusquam milites Africa decederent, consumeretur. conferas donationes ab Augusto plebei factas, quarum quaeque minimum erat sexagenorum denariorum; igitur quadragiens (vel octagiens) tantum Augustus plebei quantum Hadrianus militibus. et tamen videntur eae donationes in tempus auctae esse (Ael. Spart. vit. Helii c. 6; Ael. Lamprid. v. Commod. c. 16; cf. chronogr. anni 354). accedit quod inter V et M nullum videtur interstitium esse; ita ut 'um' iudicanda sit terminatio. denique potius scribendum fuisse puto 'sestertium quinquiens milliens' ac non abbreviandum (v. mon. Ancyr. c. 15. 16). necessario igitur suspicabimur 'um' esse terminationem adiectivi. itaque conicio: 'congia[*rium dupl*]um.' populo quoque Hadrianum ad comprimendam de se famam congiarium duplex dedisse narrat Spart. c. 7. 'duplum' si cui minus placet quam 'duplex', discat Hadrianum amavisse verba minus trita et quae priscum sermonem redolerent (v. Spart. c. 16; cf. Anth. Lat. II n. 908 R.; Ἐφημ. ἀρχ. 1869 n. 408). quod litterae vocabuli 'duplum' non solito modo in duas partes distractae sunt, non offendendum saltem ignoscendum est, quandoquidem multo gravius peccatum esse in inscriptionibus aliis licet observare (etiam in legibus et diplomatis cf. CIL III p. 893; LI, 6. EE II p. 115; 7, 6), in hac ipsa minus recte divisum 'cast|ra' pro 'ca|stra' vel saltem 'cas|tra' Da 4. igitur Hadrianus dixit: 'congia[*rium dupl*]um accipite viatoriam in Commagenorum campos Allet . . .' i. e. congiarium accipite, ut sit viatoria. ceterum quod vulgo opinantur 'congiarium'

dici de donatione plebi facta (de qua re cf. quae disputavit Bergk in comment. mon. Ancyr. pp. 52. 53), 'donativum' vero de donis imperatorum militibus datis vides ex titulo hoc non recte credi. cf. Cic. ad Att. XVI, 8, 2.

3. 'viatoria' (sc. pecunia) mihi alibi non occurrit. ellipsis tamen prodit voculam tum fuisse haud raram. fortasse militibus dabatur, qui provinciam mutabant.

4 sqq. quae ad equites cohortis VI Commagenorum imperator dixit, quamquam integra maximam partem tradita sunt, tamen difficilia sunt intellectu. certe adhuc nemo temptavit explicare. prudenter agunt, qui vertendo titulum in vernaculam linguam omittunt locos difficiles ut F. Eyssenhardt in 'Virchow und Holtzendorff sammlg. wissensch. vortraege', 1882, heft 397 (p. 13), cuius versio scatet peccatis prodentibus incredibilem ignorantiam. et sane multa intellegere non possemus, nisi Arriani τέχνῃ τακτικῇ — Arrianum auctorem R. Foerster (Herm. XII p. 426 sqq.) contra Koechly (cf. griech. kriegsschriftst. II, 1 p. 86) tuetur — aliquantum adiuvaremur. comperimus enim Hadrianum non solum iis, quae usitata antiquitus Romanis essent, milites suos exercuisse sed nova praeterea invenisse neque ea bellum maxime spectantia — male scriptor epigrammatis (Anth. Pal. IX 230, cf. Herm. XII p. 450) H. libro tactico, cuius idem H. auctor fingebatur, usum esse in bellis dicit:

τέρπεό μοι κρατερῶν καμάτων ἐγκύμονα βίβλον,
ἣν πάρος Ἀδριανὸς μὲν ἄναξ ἔχεν ἐν πολέμοισι.

nam Hadrianum ipsum bella non gessisse constat (Eutrop. VIII, 3) —, sed quae delectatione spectatores atque admiratione adficerent: βασιλεὺς δὲ (Ἀδριανὸς) προςεξεῦρεν — καὶ ἑνὶ λόγῳ οὐκ ἔστιν ὅ τι Ῥωμαίοις τῶν τε παλαιῶν ἐπιτηδευμάτων, ὅ τι περ ἐκλελειμμένον, οὐκ ἐξ ὑπαρχῆς ἐπασκεῖται, καὶ ὅσα ἤδη προςεξεύρηται ἐκ βασιλέως, τὰ μὲν ἐς κάλλος, τὰ δὲ ἐς ὀξύτητα, τὰ δὲ ἐς ἔκπληξιν, τὰ δὲ ἐς χρείαν τὴν ἐπὶ τῷ ἔργῳ (Arr. a. tact. c. 44). ea autem partim necessitate quadam, ut milites continua pace otiosos in disciplina militari teneret (cf. Spart. c. 10), partim quod ipsi voluptatem praebebant, Hadrianus videtur instituisse. atque proprie alarum videntur eae exercitationes fuisse; sed ut non exclusos fuisse equites cohortales hoc fragmento cognoscimus, ita excursu (p. 41 n. 5) docebimus etiam equites legionis interfuisse credendos esse.

5. 'difficile est cohortales equites . . . placere . . .' alares enim equites ut numero praestabant cohortalibus, qui in cohortibus (equitatis)

quingenariis dumtaxat CXX, in miliariis CCXL erant (cf. Hyg. c. 27; de alis cf. c. 16), ita par est exercitatione quoque praestitisse.

6. 7. 8. 'alia spatia campi, alius iaculantium numerus, frequens dextrator, Cantabricus densus, equorum forma, armorum cultus pro stipendi modo.' omnis difficultas inest in 'frequens dextrator Cantabricus densus.' quae verba quomodo explicanda sint, fusius exponendum erit. 'dextratorem' primum suspicabere esse eum qui dextra parte it. et profecto cursus illi equestres, quos Arrianus describit, partim dextra partim sinistra parte bematis, in quo spectatores erant, peragebantur. sed quaeres merito, cur non eodem iure Hadrianus commemoraverit 'sinistratorem', praesertim cum ei cursus, qui sinistra parte bematis fiunt, plus delectamenti et admirationis praebuerint quam qui dextra parte (c. 38). dubium igitur mihi non est, quin 'dextrator' sit is, qui se convertit dextrorsum i. e. a sinistra in dextram facit conversionem. similiter 'dextratio' (Solin. 45) significat motum vel conversionem, quae a sinistra fit ad dextram (Salmas. in Plin. exerc. p. 657). atque eum quidem motum in omnibus cursibus videbis praescriptum apud Arrianum c. 36: *ἡ κλίσις δὲ αὐτοῖς ἐπὶ τὰ δεξιὰ σφῶν γίγνεται*, c. 39: *ἐγκλίναντες ἐπὶ δόρυ*, c. 40: *ἐκκλίνοντες ἐπὶ δόρυ*, c. 62: *ἐγκλίνοντος ἐπὶ δεξιὰν τοῦ ἵππου*. hic enim motus difficilior videtur fuisse quam is, qui in contrariam partem fiebat; nam 'equos naturaliter ad sinistram flectere tradunt equarii' (Salm. l. c.).

6. 'frequens dextrator.' in alis cur frequentiores sint dextratores quam in cohortibus equitatis causam modo adtulimus. omnes exercitationes dextratione peractas intellegere debuit Hadrianus verbis 'frequens dextrator', etiam Cantabricam quae vocatur. quae statim a ceteris iure distinguitur ob difficultatem.

7. 'Cantabricus.' impetus videtur intellegendus. Arr. c. 40: *ἐπὶ τούτῳ δὲ* (sc. *δὶς ἀμείψαντες τὰς τάξεις τε καὶ τὰς προβολὰς καὶ τοὺς ἀκροβολισμούς τε καὶ ἐπιστροφὰς* . . c. 39) *Κανταβρική τις καλουμένη ἐπέλασις γίνεται, ὡς δοκεῖν ἐμοί γε ἀπὸ Κανταβρων, Ἰβηρικοῦ γένους, ταύτῃ ὀνομασθεῖσα, ὅτι ἐκεῖθεν αὐτὴν προσεποίησαν σφίσι Ῥωμαῖοι.* 'densus.' *ἡ προβολὴ μὲν ἡ τῶν ἱππέων . . . πεφραγμένη ἐκτέτακται* (ibid. § 2) — *καὶ τὸ ἀκριβὲς τοῦδε τοῦ ἔργου ἐν τοῖσδ' ἐστὶν, εἰ ὡς ἐγγυτάτω τοῖς παριππεύουσι πελάσας ὁ ἐς τὸν Κανταβρικὸν τοῦτον κύκλον καθεστηκὼς ὡς μάλιστα κατὰ μέσον τοῦ θυρεοῦ τὸ δόρυ ἐξακοντίσειεν* (ibid. § 6).

8. 'equorum forma, armorum cultus pro stipendi modo.' equos alares puto fuisse graciliores et nitentiores, arma magis decora et pretiosa. —

cf. Arr. c. 34 § 2: αὐτοὶ δὲ ὡπλισμένοι παριᾶσι [immo παρίασι] κράνεσι μὲν σιδηροῖς ἢ χαλκοῖς κεχρυσωμένοις, ὅσοι κατ' ἀξίωσιν αὐτῶν διαπρεπεῖς ἢ καθ' ἱππικὴν διαφέροντες, ὡς καὶ αὐτῷ τούτῳ ἐπάγειν ἐπὶ σφᾶς τῶν θεωμένων τὰς ὄψεις κτλ. (errore eam quae solum in illis exercitationibus adhibebatur armaturam [cf. p. 15] Marquardt putavit communem fuisse ac solitam II 456) — c. 35 § 1: πρῶτον μὲν δὴ ἔλασις αὐτοῖς ἐς τὸ ἀποδεδειγμένον πεδίον γίνεται ὡς διαπρεπέστατα ἐς κάλλος καὶ λαμπρότητα ἠσκημένη.

8. 'pro stipendi modo.' maius stipendium equites alares accepisse quam cohortales iure concludemus. ex stipendio videntur redemisse arma et equos (cf. Lange histor. mut. rei mil. p. 39).

9. 'calore.' cf. Sil. I, 549 (in Marte calores). — 'vitastis.' dixerit quispiam equites non vitavisse fastidium Hadriani post alares equites spectantis cohortales sed potius pepulisse excussisse, simile verbum. perbene Eyssenhardt: 'ihr habt die qual der hitze ueberwunden'!

10. 'addidistis, ut et lapides fundis mitteretis.' hoc proprium erat funditorum et abhorret ab equitibus. videtur Hadrianus id novasse. cf. Arr. a. tact. c. 43: ἐπὶ τούτῳ μέντοι ἤδη πολύτροποι ἐξακοντισμοὶ γίγνονται ἢ κούφων πελτῶν ἢ καὶ βελῶν οὐκ ἀπὸ τόξου τούτων γε ἀλλ' ἀπὸ μηχανῆς ἀφιεμένων ἢ λίθων ἐκ χειρὸς ἢ ἐκ σφενδόνης ἐπὶ τὸν σκοπόν.

11. 'saluistis ubique expedite.' cf. Arr. c. 43 § 3: ἐπὶ τούτοις μέντοι πηδήσεις ἐπὶ τοὺς ἵππους ὡς ἔνι ποικιλωτάτας ποιοῦνται, ὅσαις ἰδέαις καὶ ὅσοις σχήμασιν ἀναβαίνεται ἵππος ὑπὸ ἱππέως. c. 44 § 2: καὶ τάφρον δὲ ἀναπηδᾶν μελετῶσιν αὐτοῖς οἱ ἵπποι καὶ τειχίον ὑπεράλλεσθαι.

12. '[*insignis cura*] apparet.' W. sed videntur nimis multae esse litterae. num 'unica cura'?

12. 'sub[*ito*].' sensus enuntiati perspicuus est: Hadrianus laudat Catullinum, legatum suum, quod milites tam 'subito' — hoc vocabulum litterarum reliquiae facile suppeditant — peritos artificiosarum illarum exercitationum reddiderit. similiter 'subito' adhibetur a Cic. de orat. I, 59, 252: 'vox et gestus subito sumi et aliunde arripi non potest.' alia exempla, quibus 'subito' eadem fere ratione ac 'cito' vel 'celeriter', ut hoc loco, usurpatur, Forcellini enumerat velut: Caes. b. G. II, 33: '(scuta) quae subito pellibus induxerant.' Lucret. II, 391: 'subito per colum vina videmus perfluere: at contra tardum cunctatur olivom.' cur vero subito? num legatus, qui antea provinciam tenuerat, exercitationes illas neglexit ita, ut Catullinus contendere deberet neglecta resarcire

subito? vix credibile est quemquam legatum, cum Hadrianus circumiens provincias summa severitate in praesides officii immemores animadverteret (Spart. vit. Hadr. c. 13), eo processisse segnitiae; neque Hadrianus de hac re quicquam dicit. an cohors VI Commagenorum brevi antea in Africam venit exercenda subito? at ubi fuerat, non sine exercitatione fuit. una restat ratio iustae explicationis, modo ipsum verbum ne falso restituerim: illas exercitationes haud multo ante ab Hadriano institutas esse subitoque Catullinum copias edocuisse (cf. Db). namque illud genus exercendi ab Hadriano novatum esse supra diximus (cf. Arr. a. t. c. 44); ista vero praecepta militaria quin edita sint Hadriani nobilibus illis constitutionibus militaribus (Veg. I, 8), dubium non videtur esse. iam cum pobabile sit Hadrianum aestate anni 128 p. C. in Numidia versatum esse, et Catullinum, qui a. 130 consulatum acceperit, cum legati in tres annos mitti solerent, per tres annos qui antecedunt Numidiae praefuisse, non iniuria suspicabimur Hadrianum ineunte anno 127 constitutiones militares edidisse. minimum enim unius anni spatium interfuisse non negabimus, quo Catullinus milites novis artibus imbueret et tam bene exercitatos redderet, quam Hadrianus laudat. cum eo tempore (a. 127) optime convenit, quod probabile est Hadrianum extremo a. 126 seriem primam suorum per Europam mediam occidentalemque, Asiam, Graeciam, insulas itinerum peregisse et per hiemem a. 126/27 perque totum annum 127 Romae versatum esse (Duerr p. 59). hoc in otio est veri simile imperatorem, quae provincias perambulans exercitibus visendis atque inspiciendis (Spart. vit. c. 10) expertus erat, legibus, quibus novae disciplinae auctor evaderet (cf. ibid.), sanxisse, non modo quae ad officia atque impendia pertinerent (cf. ibid.), verum etiam quae ad exercitationes usumque armorum.

Bb fragmentum hoc cum de muniendis castris amplis (cf. 'longi operis') agatur, non ad cohortem unam duasve sed ad coniunctas multas copias sive auxiliares sive auxiliares et legionarias pertinere iudicabimus.

1. 'exercitationis' minus recte supplevit W. neque enim de 'exercitatione' hoc loco agi videtur sed de 'metatione' castrorum. cf. Ios. III, 5, 1: *τὸ δ' οὐκ εἰκαῖον οὐδ' ἀνώμαλον* (sc. *τὸ στρατόπεδον*) *ἐγείρουσιν* (sc. *οἱ Ῥωμαῖοι*) . . . *ἢ ἀτάκτως διαλαβόντες, ἀλλ' εἰ μὲν ἀνώμαλος ὢν τύχοι χῶρος, ἐξομαλίζεται, διαμετρεῖται δὲ παρεμβολὴ τετράγωνος αὐτοῖς.*

2. ‘murum lo[*ngi*] operis.’ opus interdum usurpari pro castris elucet ex Caes. b. c. II, 26. ‘longum opus’ est igitur longa castra, et ‘murum longi operis’ erit ‘murum castrorum, quae habent latera longa.’

3. ‘qualis mansur. hibern. f. s.’ patet murum castrorum hibernorum magis solidum firmumque fuisse quam castrorum in breve tempus exercitationis causa munitorum. Veg. III, 8: ‘stativa castra . . . maiore cura ac labore firmantur.’ — laudat igitur Hadrianus milites cum quod longum et firmum solidumque murum lapidibus fecerint, tum quod eum eadem fere celeritate, qua murus caespite fit, struxerint.

4. 6. ‘caespite . . . lapidibus.’ cf. Hyg. c. 50: ‘vallum . . extrui debet oespite (sic cod. Arcerianus) aut lapide.’

7. ‘lapidibus grandibus gravibus inaequalibus.’ trinitatem hanc rhetoricam verborum vel alliteratione assonantiave conspicuorum vel asyndeton vel polysyndeton cet. — inveniuntur autem haec ornamenta modo sola modo coniuncta — et apud Hadrianum (cf. in hoc fragmento praeterea ‘neque neque neque — vehere attollere locare — et et et — vehitur tractatur struitur’; in epistula ad Servianum consulem [Vopisc. Saturn. c. 8]: ‘Aegyptum levem pendulam volitantem — nemo nemo nemo — non non non — genus seditiossimum vanissimum incuriosissimum — civitas opulenta dives fecunda — alii alii alii — hunc hunc hunc — concessi reddidi addidi’; in laudatione funebri Matidiae [abh. d. Berl. ak. 1863 p. 485]: ‘[*obsequ*]entissima indulgentissima piissima — [*iuv*]ans gravis tristis’) et apud Frontonem passim licet observare: p. 36 v. 7 ed. Nab.; 36, 14; 38, 11; 41, 1; 41, 20. 21; 48, 26; 61, 17. 18; 62, 15; cf. 139; 211.

8. ‘inaequalitates [‘in aequalitates’ in tit.] inter se’ i. e. inaequalitates lapidum inter se iunctorum. videtur enim enuntiatum quod sequitur ‘nisi ut . . . conpareant’ non ad tria verba, quae antecedunt, sed ad unum ‘locare’ referendum esse.

9. ‘fossam glaria dur. sc. percussistis.’ Veg. III, 8: ‘si terra solutior fuerit, ut ad similitudinem lateris [cf. v. 5: ‘modulo pari caesus’] caespes non possit abscidi, tunc opere tumultuario fossa percutitur, lata pedes quinque, alta tres, cui intrinsecus agger excrescit.’ proprie non fossam percuti sed terram quisque sentit. igitur sic cogitandum: fossam efficiunt milites percutiendo terram; cf. Plin. ad Trai. ep. 41 (p. 285 ed. Keil). etiam liberius illud Hadriani: fossam percutere duram scabramque.

10. 12. ‘opere probato . . . . equitem emissum.’ Veg. III, 8: ‘opus vero centuriones decempedis metiuntur, ne minus foderit aut erraverit alicuius

ignavia, et tribuni circumeunt nec ante discedunt qui strenui sunt, quam fuerint universa perfecta. ne tamen aliquis superventus laborantibus fiat, omnes equites et pars peditum, quae non operatur privilegio dignitatis ante fossam in procinctu armata consistit et ingruentes repellit inimicos.' cf. I, 25: 'facile est absentibus adversariis castra munire, verum, si hostis incumbat, tunc omnes equites et media pars peditum ad propulsandum impetum ordinantur in acie, reliqui post ipsos ductis fossis muniunt castra (et per praeconem indicatur, quae centuria prima, quae secunda, quae tertia opus omne compleverit). post hoc a centurionibus fossa inspicitur ac mensuratur et vindicatur in eos, qui neglegentius fuerint operati.'

11. 'intro gressi' interiora castra, papiliones. in castris enim, saltem in extremis, iam antea fuerint necesse est, qui murum struxerunt.

11. 'opere probato . . . cibum cepistis.' cibum, postquam castra munita sint, capere cautius esse docet Veg. III, 8: 'incautum est plenumque discriminis exercitum passim sine aliqua munitione considere, cum militibus ad capiendum cibum occupatis . . . facile nectantur insidiae.'

12. 'magno clamore' neque cum 'secuti' neque cum 'revertentem' videtur coniungendum, sed ad verbum sequens, quod excidit [*excepistis?*], referendum esse.

Da hoc fragmentum fortasse ad equites legionis pertinere non bene suspicatus est Wilmanns. nam 'manus non languidae' magis videntur pedites spectare quam equites; deinde signum rite vocatur peditum, equitum vero vexillum (v. excurs. p. 41 n. 4). neque veri simile est equites in castris defendendis — de ea enim re mihi videtur agi — multum valuisse; contra fragm. Ba ad rem prorsus diversam pertinet (pp. 14. 15). Da potius cum fragm. Bb videtur cohaerere. sensum enim si qui potest ex paucis reliquiis enucleari, puto imperatorem laudare milites, quod manibus non languidis aliquid peregerint. neque se vituperare ait, quod auxilium non ad signum miserint, quod iam hostis cepisset. frustra enim fuisset; neque facultatem eos mittendi saepius et instantius habuisse propter paucitatem suorum. nam id ante omnia effici debere, ut hostis ultra scamna tribunorum et legatorum non audeat castra ingredi.

1. . . . . 'cistis.' supplendum videtur . . . '[*fe*]cistis' fortasse '[*perfe*]cistis.'

3. . . . . . 'm' videtur terminatio accusativi esse, de quo pendeat 'mittendi.'

4. 'ultra sc[*amn*]a' conieci. recte enim Renierus descripsisse mihi vide-

tur SCA /// A. scamna legatorum et tribunorum (Hyg. 38) in praetentura praeter viam principalem prope portas principales erant; per quas si forte hostis inruperat (cf. d. Roemercastell Saalburg v. Cohausen u. Jacobi p. 11), imprimis prohiberi debuit, ne ultra scamna progrederetur. ob id videntur cum aliae tum cohortes primae (Hyg. c. 23) prope portas principales tetendisse, ne hostes facile ultra scamna invaderent, praetenturam a media parte castrorum separarent castraque facilius caperent.

6. '[*e*]t erumpetis v[*alidi*].' imperator amat praecepta adiungere factis (cf. Db).

C 'coh. II H[*ispanorum*].' cf. Hassencamp, de coh. Rom. aux. p. 57; qui omittit cohortem II Hispanorum in Numidia stationes habuisse, priusquam in Mauretania esset. conicio coh. II Hisp. fuisse cohortem quingenariam [1]) equitatam [2]).

Db fragmentum ad equites alae sive cohortis equitatae pertinere certum est (cf. 'praefectus'). atque ut fragmenta Ba et Aa exercitationes illas ludosque equestres ab Arriano descriptos spectant, sic hoc fragmentum ea commendat, quae ad usum belli et dimicationem veram

---

1) *CIL VIII, 2623:*

I. O. M.
1 Dolicheno
Ti. Memmius
T. f. Palatina
Ulpianus Roma
5 praef. coh. II I...
q. p. f. trib. mil. leg.
III Aug. *etc.*

versum sextum Renierus recte explicavit: q[*uingenariae*] p[*iae*] f[*idelis*]; nec puto me nimis audacter agere, si versus quinti litteras deficientes adiciam has 'I[-IIS]' (cf. 2787).

2) *VIII, 2787:*

D. M.
P. Aelio Se
curo Nap.
dec. coh. II His.
vix. an. XXXV *etc.*

cf. Henzen-Daumet, miss. archéol. de Macédoine 1864 n. 157 p. 384. cf. [*ec*]us in ipso fragm.

idonea sunt: Hadriano non placebant contrarii discursus i. e. si equitum pars in hanc, altera pars in contrariam regionem equitaret. si vero quid efficere velint, dicit debere concurrere i. e. hostes adgredi uno omnium impetu ac vi. praescribit praeterea, ut e tecto eques transcurrat et persequatur caute. hunc enim sensum recte Buecheler enucleavisse mihi videtur. apparet perutile esse, ut equites tecti sint; id cum interdum loci natura (cf. anonymus Byzantinus *περὶ στρατηγικῆς* 38, 1 in 'griech. kriegsschriftst.' ed. Koechly II, 2) tum peditum robore fit. etenim *ἀσθενὲς τὸ πεζῶν ἔρημον ἱππικὸν πρὸς τὸ ἁμίππους πεζοὺς ἔχον* (Xenoph. *ἱππαρχ.* 5, 13). ob eam rem sic instruuntur in acie (Asclepiod. 7; Arr. a. t. c. 20), ut excurrant, se recipiant (anon. Byz. 35, 4; 36, 2), proelientur (cf. Xen. *ἱππαρχ.* 8, 19) a peditibus tecti. iure igitur Leo tact. VII, 61 iubet *τοὺς καβαλλαρίους μὴ κατατρέχειν τῶν ἐχθρῶν μηδὲ ἀφίστασθαι τῆς πεζικῆς παρατάξεως ὡς ἐπὶ πολὺ διάστημα.* cautela enim iis cum alias (cf. Leo IX, 43) tum in persequendo (*ἱππαρχ.* 8, 14) adhibenda est, ne incurrant in pericula. laqueis enim frequenter equites obnoxios esse Veg. III, 23 dicit et *τριβόλους* contra persequentes [aliter Veg. III, 24] adhibendos esse anon. Byz. 38, 5 docet. de caliculis ab Hadriano memoratis nihil inveni.

1. 'convertuit' hoc loco solo videtur extare. similiter verbum adhibet Veg. II, 2. 'verto verti' Diomedes et Priscianus docent. cf. 'sterto stertui'. 'avertuit' Roenschius de Itala p. 287 ex codice Fuldensi Hoseae 8, 3 adfert, idem 'lambui, conterui, linui' al., ipse in 'ui' perfecta non legitima temporis labentis inveni 'reguit' ap. Henz. 6686, 'desinui' in Commodiani c. ap. 201.

5. 'transcurrat' sc. per campum apertum. cf. Veg. III, 9: 'si equitatu gaudemus, campos debemus optare.' simili ratione verbum transcurrendi adhibetur a Frontino strateg. II, 3, 20: 'equites a sinistro cornu praeter ora phalangis iussit transcurrere.' cf. 'tramittere' apud Lucr. II, 330:

> 'et circum volitant equites mediosque repente
> tramittunt valido quatientes impete campos.'

6. aut casu factum est, ut verba 'e tecto transcurrat eques' prius hemistichium hexametri forment, aut sumpta sunt ex poëta aliquo. quo tempore is fuerit, indagare non licet. ratione enim caesurae seu potius caesurarum temporis indicium conligi non potest, cum iam Ennius schema illud duplicis caesurae (trithem. et hephthem.) cum distinctione verborum post tertium trochaeum adhibuerit (Birt ad

hist. hex. lat. p. 7), ceteri servaverint, posteriores praecipue Ovidi sectatores paene immodice adamarint. ceterum contra Mommsenum, qui Catonis ea verba esse voluit, dicendum erit 'e tecto' quasi adverbialiter positum non antiqui sed recentioris temporis esse.

6. 'aut ecum retinere nequit.' id fieri potest, si nimius est vi currentium equorum impetus, ita ut invito equite longius ruant. sicut impetum equitum in persequendo imperator vituperat, ita mox in congrediendo cum hoste etiam commendat.

10. 'Zarai.' oppidum a Lambaesi occidentem et septentrionem versus situm. cf. Duerr pp. 40. 41: 'Hadrian landete wohl in Carthago . . . Auf dem Wege nach Lambaesis besuchte er wohl . . . Zama Regia, Lares, . . . Theveste . . . Thamugas. Ende Juni hielt er in Lambaesis die Parade der Legion ab und zog dann weiter ueber Zarai, wo er anfang Juli [certum mihi videtur esse die 7. mensis Iulii; nam ante 'on' nihil nisi 'n' potest excidisse] eine Abtheilung der auxilia inspicirte . . . nach Sitifis' [in Mauretaniam]. itineris Hadriani rationem Duerr mihi recte videtur indicavisse. Zarai enim cum in confinio Numidiae et Mauretaniae fuerit, aut ultimam aut primam urbium Numidiae Hadrianus attigit. si primam (a Mauretania veniens) adisset, fieri non potuit, ut aliquantum temporis, sive plures sive unus dies, interesset inter adlocutionem coh. II H[*ispanorum*] et huius cohortis. (fragmento enim C ante 'non. Iul.' dierum numerum excidisse certum videtur. fortasse coh. II Hisp. Ammaedarae stationem habuit cf. CIL VIII, 312).

10. 'coh [*I. Fl*(*avia*) *eq*(*uitata*)]' Wilmanns ex tit. VIII, 4527 coniecit. cuius tituli cum tempus incertum sit, num Hadriani tempore coh. I Fl. eq. Zarai fuerit, inde conligere non licet.

E videtur mentio fieri centurionum omnium ordinum et Catullini legati clarissimi viri. de sensu restituendo et multo magis de verbis desperavi. quominus suspiceris scriptum fuisse illos monumentum fecisse, prohibent verba 'si erat' v. 1, quibus apparet oratio sermocinantis. ob id 'fe' in v. 3 non per 'fecerunt' videtur supplendum sed per 'fecistis'.

---

excursus ad Ba 4:

de equitibus legionis sive legionariis aetatis imperatoriae.

---

aetatis fere Augusteae

1) *CIL V, 3334. Verona.*

P. Baebio P. fil. Pob. Tuticano trib. mil. a populo praef. eq. pro leg. pontifici IIII vir. plebs urban. permiss. dec.

E E I p. 103. Madvig kl. ph. schr. p. 554. mihi videntur esse eq. legionis (cf. p. 42).

anno 28 p. C.

2) *Tac. ann. IV, 73*:

(hostes) iam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum subsidio missos.

ante 42

3) *CIL III, 6416. Dalmatia. in vico Mocropolie.*

P. Fanniu(*s*) Ani. Cremon(*a*) eq. leg. XI an. XXIX stip. XII h. s. e. f. f. pos.

(sequitur carmen senariis panctum quamvis non redolentibus Senecae aetatem artemque.)

cum legio XI annis 68 et 69 (Tac. hist. II, 11. 67. 86. III, 50) in Dalmatia castra habuerit et paullo post in Germaniam superiorem translata sit (Tac. hist. IV, 68), nec postea legiones in Dalmatia fuerint (CIL III p. 280), appareret titulum hunc ante a. 70 scriptum esse, fortasse iam ante a. 42, quo anno legio XI cognomen 'Claudia pia fidelis' accepit (Dio LV, 23; LX, 15).

ante 43

4) *II, 1681. Baetica. Tucci.*

C. Iulio L. f. Ser. Scaenae decurio(*ni*) eq. centurioni hastato primo leg. IIII $\overline{II}$ vir. Laeta filia.

cf. CIL II, 2916 adn. Pfitzner gesch. d. roem. kaiserlegionen v. Aug. bis Hadr., Leipzig, 1881, p. 231. legio IV (Mac.) ab Augusto ad Claudium in Hispania fuit, qui eam in Germaniam sup. avocavit — cf. p. 35.

5) *III, 4858. Noricum. Viruni.* ante 47 (43)
C. Vettius Q. f. Pol. eq. leg. VIII Aug. ann. XLIIX stip. XXVIII idem quaestor veteranorum et Q. Vettius Q. f. Pol. frater eq. leg. VIII Aug. ann. XL st. X h. s. e. M. Metilius eq. leg. VIII Aug. et P. Arrius her. C. Vetti test. posuerunt.

cf. Pfitzner l. c. p. 32; CIL II, 3272; corrigendus Marq. II p. 442.

6) *Bramb. 269. Grimlinghausen non procul a Novesio.* 47—71
C. Corneliu(*s*) C. f. Fab. Longi(*n*)us Heracla e(*q*). leg. XVI stip. XX(*V*) vixit an. L h. s. e.

cf. Pfitzner l. l. p. 262.

7) *III, 1814. Dalmatia. Viddi.* 42—c. 64
P. Lastus A. f. Scaeva domo Florentia eques vet. leg. VII C. p. f. annor. LX. stip. XXX et Lastae P. l. Apiculae P. Lasto Felici P. Lasto Diodoro lib. t. f. i.

cf. Pfitzner l. l. p. 242; v. adn. 3.

8) *III, 3162ᵃ. Dalmatia (?). Strà.* eodem tempore
M. Antonio Celeri eq. leg. VII C. p. f. Iulia Maxsima heres fecit sibi et coniugi caro suo st. XXX in f. p. XII in ag. XVII.

9) *Tac. hist. I, 57:* 69
(Fabius Valens legatus legionis primae) coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus [postr. id. Ian.] imperatorem Vitellium consalutavit.

10) *V, 6879. Alpis Poenina. in summo monte S. Bernh.* eodem anno
L. Licinius S////us eques le(*g.*) IIII Mac. Peoen. v. s. l. m.

cum Vitellium contra Galbam proficiscentem vexillum leg. IV Mac. quoque, quae per Claudium a. 43 ab Hispania in Germaniam sup. translata erat (v. not. ad 4), Caecina duce secutum sit (cf. Pfitz. p. 231), egregie hoc titulo et Taciti verba et Taciti verbis ipsius tituli tempus inlustrantur. hist. I, 61: *adiuncto Britannico exercitu ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens adlicere vel, si abnuerent, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam irrumpere, Caecina propiore transitu Peninis iugis degredi iussus.* ['Peninis' Bekker, immo 'Poeninis': cf. tit.; Henzen 6939; item 228. 229. 232. 233; Liv. XXI, 38, 6; Plin. III, 17, 123 (licet uterque falso derivavisse videatur); Amm. Marc. XV, 10, 9].

11) *Ios. b. Iud. III, 6, 2:* eodem anno
εἵπετο δὲ αὐτῷ [Οὐεσπασιανῷ] τὸ ἴδιον τοῦ τάγματος ἱππικόν · ἴδιοι γὰρ ἑκάστου τάγματος εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατὸν ἱππεῖς.

saec. I 12) *III, 4061. Pannonia sup. Pettaviae.*

(eques, dextra vexillum tenens, in quo legitur:)

VEX
EQ

C. Rufius C. f. Ouf. Med. miles leg. XIII gem. an. XXXVI stp. XVI fratre pos. h. s. e.

'primi saeculi titulum esse existimo, scilicet scriptum quo tempore legio XIII gemina hiberna haberet Poetovione.' Th. M. — non ante a. 68 (cf. Pfitzner p. 255).

saec. I 13) *V, 1882. Porti.*

. . . . . P. Baebius P. f. Cla. leg. XIII geminai eques armill(

legio XIII cum inde a Traiano in Dacia fuerit ibique ad tempora usque Not. Dign. manserit (Grotefend in 'Pauly realenc. d. kl. alt.' IV p. 892 et 893), titulus ante Traianum exaratus videtur esse. [tempore Vespasiani? fortasse enim eques hic post pugnam ad Cremonam factam, cui intererat legio XIII (Tac. hist. III, 27. 32), armillis donatus est.]

ante a. 92 14) *Bramb. 1196. Hassia. Zahlbach.*

Q. C(*ci*)onius Q. f. Volt. Tolosa equ(*es*) leg. XIIII gem. ano. XXXV sti(*p.*) XII h. s. e.

cf. Pfitzner p. 259.

128 (129) 15) eo anno Hadrianus adlocutus est equites leg. III Aug. (CIL VIII, 2532 Ba).

Duerr p. 40; CIL VIII praef. p. XXI n. 4.

c. 134 16) *III, 6178. Moesia. Troesmis.*

enumerantur veterani (leg. V Mac.), inter quos tres equites:

2, 30 (coh. II) Iulius Seve. ex eq.
3, 17 (coh. III) Val. Rufus ex eq.
3, 27 (coh. IIII) Gelli. Germ. ex eq.

cf. CIL adn. ad hunc tit.

136 17) Arrianus in '*ἔκταξις κατ' Ἀλανῶν*' § 4: . . . *οἱ ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἱππεῖς.*

cf. p. 36.

155 18) *EE IV p. 525.*

Severo et Sabiniano cos. in vexillatione leg. XI Claudiae est: eques XI Cl.

19. 20) *III, 6179. 6180. Troesmis.* saec. II
latercula veteranorum (similia non tamen eadem atque 6178).
1, 20 . . . . . (eq.
2, 4 Calpurnius ex e(*q.*)
2, 5 Bal. Farianus ex eq.
3, 5 . . . . . (s ex eq.

. *III, 6180.*
1, 8 . . turnin ex eq.

'Troesmi tertio saeculo castra maiora nulla videntur fuisse.' Th. M. CIL III, 2 p. 999.

21) *VIII, 3163. Numidia. Lambaesis.* 180—192
D. M. C. Iulius Saturnininus mil. leg. III Aug. Com. vixit annis XL
C. Postumius Martialis eq. aeres eius fecit.

Com. = Commoda.

22) *VIII, 2550. Numidia. Lambaesis.* 198
. . . . L. Septimio Severo . . . cos. II . . . eq. leg. III Aug. p. v.

ipso titulo tempus elucet.

23) *VIII, 2618d. Num. Lamb.* 211/12
Aem // ie /// o Egrilius Felix ex /// eq . . .

tempus ipso titulo indicatur.

24. 25) *III, 4172. 4173. Pann. sup. Stein am Anger.*
a) Liberalis eq. leg. XIIII g. v. s. l. m. a) 193—201
b) (*L*)iberal(*is*) vet. leg. XIIII g. Ant. v. s. l. b) 212—218

'Idem homo primum eques legionis XIIII geminae videtur votum posuisse, deinde iteravisse veteranus factus legionis eiusdem iam Antoninianae.' Th. M. nempe prior titulus dedicatus videtur Septimio Severo imperante, quem ut legiones sibi ex imperatoris nomine derivatum cognomen adderent passum non esse constat, posterior Caracallae tempore.

26) *VI, 3409. in aedibus Rossi.* 213
. . . (*bene*) mer. fecit . . . (*L*)aterno et Ru(*fino*) cos . . . III mil. fac. est di . . . ctus est aeques XI . . . . optio anni XIII . . . nctus est XVII . . . . cti optioni pri. m . . . Parthicae.

'Miles factus a. 197 qui stipendia fecit XVII, obierit necesse est a. 213.' Th. M.

216 27) *II, 2663. Tarraconensis. Leon.*
Imp. Caesari M. Aurel. Antonino Pio Felici Aug. Parthic. max. Brit. max. German. max. pontif. max. trib. pot. XVIIII cos. IV imp. III p. p. proc. equites in his actarius leg. VII gem. Ant. p. fel. devoti numini maiestatiq. eius.
dedicat(*um*) VII k. Oct. Cattio Sabino II et Cor. Anullino cos.

217 28) *Spart. Carac. c.* 6:
Conscii caedis [Caracallae] fuerunt Nemesianus et frater eius Apollinaris Recianusque, qui praefectus legionis secundae Parthicae militabat et qui 'equitibus extraordinariis' praeerat.

v. p. 42.

c. 212—218 29) *III, 4480. Pann. sup. Petronell.*
. . . miserissima Sept. Ingenuo eq. leg. XIIII gem. qui Partia decidit in bello Sept. Iuliano eq. (*l*)eg. XI ///eautfnn.

legionis XIV geminae cognomen, quod est Martia Victrix, cum post Septimium Severum omitti soleat (cf. Grotefend in 'Pauly realenc. d. kl. a.' IV p. 894), bellando vero contra Parthos Macrino imperante cessatum esse constet, titulum hunc non temere tempori, quod fuit inter Septimium et Macrinum, adscribemus.

eodem tempore 30) *VIII, 3164. Numidia. Lambaesis.*
D. M. s. C. Iulius Saturninus eq. leg. III Aug. Antoninianae v. a. XL Propertia Quinta uxor et heres eius posuit h. s. e.

sub Caracalla ob cognomen 'Antoninianae'.

222—235 31) *III, 1200. Dacia. Carlsburg.*
D. M. Sl. Viae////s Ser. Victor Iad. equ. leg. XIII g. S. Ingenui s i u r.

est legio XIII gemina; S(*everiana*) cognomen legionibus sub Alexandro Severo addi solet.

231 32) *Brambach 1034. Moguntiaci.*
Bonum eventum ee. qq. leg. XXII pr. p. f. Albanius Agricola et Macrinianus Iuli(*a*)nus q. d. cives Sumel // (*Po*)mpeiano et Paelignian(*o*) cos.

240 33) *III, 5942. Regensburg.*
In ho. d. d. I. O. M. aram altare iussu ips. Aur. Peruincian. eq. leg. III Ital. d. d. VIII kal. Aug. Sabino[1]) et Venusto cos.

[1]) [*Vettio?*] Sabino II cf. Klein fasti cons. p. 102.

34) *VIII, 9796. Mauret. Caes.* 238—253

Q. b. f. f. sit equites Deae Magnae virgini caelesti restituerunt templum numine ipso dictante equites constanter eum templum restituerunt.

si equites intelleguntur legionarii (cf. similem tit. III 1590[a]), necesse est titulum intra annos 238 et 253 scriptum esse, quibus annis solis in Mauretania legio castra habuerit (CIL VIII praef. p. XX sq.).

35) *V, 896. Aquileia.* saec. IV (?)

(*Aureli*)us Iustinus equis i lig. XI Cl. provitu annoro. XVII et militavit munifix annis VII eiqus annis IIII militavit in corte statu posteriore ex pluris maicis derisus ipsius in ipso titulo XCI.

'propter sermonem inconditum et alias causas ante quartum saeculum titulus scriptus esse nequit.' Th. M. (EE IV p. 234). sed cf. p. 33.

36) Hygini qui dicitur fragmento non commemorantur equites legionis. saec. III exeunte

Mus. Rh. XXXIV p. 237 sqq.

37) de Vegetio (II, 6) v. infra.

temporis incerti:

Pann. inf. Waitzen. duo qui secuntur tituli non ante Traianum exarati sunt (cf. Pfitzner p. 225; p. 219; v. tamen CIL III p. 482).

III, 3420.

Epone Aug. Apuleiiu(*s*) Ianuarius eq. leg. II ad. p. f. v. s. l. m.

III, 4271.

Aur. Candidae Q. quae vixit annos XXV Sep. Priscus eques leg. I ad. coniugi carissime f. c.

III, 1590[a]. Dacia. Rečkae. non antè Traianum, non post Aurelianum.

Placidae reginae eq. v. l. p. per Proculo prnc. et (*G*)aio opt.

'Cum qui titulum dedicarunt 'princeps' (praetorii scilicet, vide adn. 830) et 'optio' (item praetorii, cf. Henzen n. 6940) auxiliariae militiae non conveniant, sed legionarii fuisse putandi sint, equites intellege et ipsos legionarios.' Th. M.

III, 5947. Raetia. Regensburg. non ante M. Aurelium, Dio Cass. LV, 24.
D. M. Cl. Ursa vixit annos II dies X Gesatia Lucia vixit annos IIII fecit Cl. Donatus eq. leg. III Ital. et Pedania Profutura parentes vivi filiabus suis memoria fecerunt.

Grut. 523, 2. non ante M. Aurelium, Dio LV, 24.
D. M. C. Artorio C. f. Scap. Capenato eq. leg. II Ital. vix. ann. XLIII m. VIII d. III K. Artoria coniugi et C. Artorius M. fil. Viserius fratri dulcissimo caussa testam. faciund. coeraverunt in fronte pedes III s. in agro pedes VIII s.

CIL III, 269. Galatia. Ancyra.
D. M. C. Secundinio Iuliano equiti leg. XXII pr. p. f. ann. XXXV stip. XV C. Seranius Vegetus Secundus heres et conlega f. c.

Kellermann. 290, 4.
D. M. T. Iulio Valenti vet. leg. V Macd. m. an. XXVI eq. vix. a. L Ti. Iulius Fronto fr. ka. et Iulia Frontina et Iulia .... lenlina .... pos.

Lebas voy. arch. III, 1 n. 2228. Syrie.
ΑΝ ΜΑΧΙΜΟϹ ΟΥЄΤΡ ΙΠΠЄΥϹ ΛЄ Γ̄ ΑΥΡ ΓΑΙΗ ΑΡΑΒΙΑΝΟΥ ΤΟ ΜΝΗΜЄΙΟΝ ЄΑΥΤΗ ЄΠΟΙΗϹЄΝ ΤΟΙϹ ΤЄΚΝ . . .

denique incerti temporis sunt pleraeque Africanae inscr., quibus quidem eques leg. commemoratur:

VIII. 2882 (disc. eqq. leg.). *2894. 2565 b, 6. 2567, 34* (coh. II). *2568, 18* (op. eq.). *3197. 3047. 3080. 3082. 3088. 3260* (eq. legionarius). *3140. 3143. 3156. 3165. 3199. 3255. 3261. 3274. 2593. 3083. 3095. 3111. 4237. 3180. 3260. 10,629.*

et a Wilmannsio (EE I p. 86) et a Foerstero (p. 10 n. 1) iniuria tempori antegresso Severum adscriptus est titulus 2593. nam quod deest 'pia vindex', nihil valet (cf. e. g. Renieri n. 821).

tituli suspecti sunt

Grut. 548, 8, in quo titulo legitur 'leg. XXII Victur. Verissimi.' 'Victur. Verissimi' videtur ex sigillo VV ortum esse, et hoc sigillum falso additum. legiones XXII duae fuerunt, una Deiotariana, altera primigenia; legio vero XXII VV [*Valeria Victrix*] nota non est.

item *Orelli 3499.* nam legio XVI alibi non cognominatur VV, neque legio XII cognomen habuit 'Aug(*usta*)'.

I. de tempore.

haec testimonia omnia, quae mihi quidem innotuerunt, petita cum ex rerum scriptoribus tum ex titulis adhuc conlectis qui oculis perlustraverit, aetate imperatoria [1]) omni ea, quae est ab Augusto ad id saeculum, cuius post initium rem militarem Romanorum plane mutatam invenimus, equites legionis fuisse animadvertet. neque est per id tempus ullum spatium, quo non commemorentur equites legionis, tam longum, ut debeamus Marquardtio (staatsverw. II p. 586) adsentiri, qui equites legionis ineunte saeculo tertio ex legionibus esse remotos contendit et restitutos postea. neque enim Hygini qui dicitur librum vulgo de munitionibus castrorum inscriptum [2]), quo equitum legionariorum mentio non fit, ineunte saeculo tertio scriptum esse recte iudicavit (v. M. Rh. XXXIV p. 237 sqq.), et antiquam ordinationem Vegetii, qui equites in legione numerat, eiusdem saeculi fini vel insequentis initio falso adtribuit (cf. Foerster de fide Flavii Vegetii Renati pp. 9. 29). restringenda Mommseni quoque sententia titulum V, 896 (n. 35) ante quartum saeculum scriptum esse negantis (EE IV p. 234). eo enim saeculo re militari prorsus commutata de hastato posteriore cogitari posse nullo modo videtur (cf. Valesii adn. ad Amm. Marc. p. 127), neque sermonem inconditum is, qui semidoctum inspexerit Commodianum, tertio saeculo abiudicabit.

II. de condicione ac dignitate.

iam equitum legionis quae fuerit in exercitu Romano condicio ac dignitas disseremus. vel ipsum nomen, quod est equites le-

1) extremis reipublicae temporibus cur non fuerint equites legionis, videsis Langei hist. mut. rei mil. p. 13, Marquardti roem. staatsverw. II p. 427, Madvici kl. phil. schr. p. 501 n. 1.

2) neque nomen auctoris neque titulus Arceriani codicis optimi auctoritate fulcitur (v. ed. Lang. p. 51).

gionis[1]), significat eos equites qui legionibus proprie tributi erant, artius legionibus quam auxiliari equitatui fuisse conexos. huc pertinet, quod iisdem atque milites legionis matriculis inscripti erant (cf. p. 39), et quod gravi armatura utebantur (cf. p. 14). quodsi Madvicus dicit (kl. phil. schr. p. 502 n.): 'Von diesen [aus Gallien und Asien stammenden] Reitern, die in den aeltern Provinzen ausgehoben und auf roemische Art eingeuebt waren, wurden schon jetzt [zu Caesars Zeit] einige in naehere Verbindung mit den Legionen gesetzt und wurden neue equites legionarii, wie wir bei Tac. (ann. IV, 73; hist. I, 57) equites legionum finden; vgl. Jos. hist. Jud. III, 6, 2, wo 120 fuer jede Legion angegeben sind', Danus doctus non adtento animo locum quem citavit Iosephi videtur legisse, alioquin animadvertisset Iosephum, antequam *τὸ ἴδιον τοῦ τάγματος ἱππικὸν* enumeret, *ἐπιλέκτους ἱππέων* commemorare et utrosque aperte discernere. quod quam vere Iosephus memoriae tradiderit, Arriani fide confirmatur, qui duo praecipua genera equitum his verbis (*ἔκτ. κατ' Ἀλ.* § 4): *ἐπὶ δὲ τούτοις οἱ ἐπίλεκτοι ἱππεῖς ἴτωσαν καὶ ἐπὶ τούτοις οἱ ἀπὸ τῆς φάλαγγος*[2]) *ἱππεῖς* manifesto separat. dubium igitur minime cuiquam erit, quin electi equites et equites legionis non fuerint eidem, hi non ex illis orti, sed utrique eodem tempore separati et diversi[3]). neque nomine tantum differebant equites legionis ab illis sed gradu. licet enim fortissimi reique militaris Romanae peritissimi quin etiam vi numeroque equitibus legionis admodum praevalentes fuerint equites electi vel potius alae, ex quibus electi sumebantur (cf. p. 37), tamen ea re maxime distabant utrique, quod equites legionis erant cives Romani. inter militem vero et equitem legionis quid interfuerit, titulis nonnullis docemur. qui cum ostendant miles qui primum militaverit, postea equitem fuisse (CIL V, 896, n. 35; VI, 3409, n. 26), ex milite quasi quodam modo promoveri equitem legionis apparet[4]). id eo magis elucet, si in leg. III Aug. equitem ex optione factum esse invenimus (CIL VIII, 2894). et hoc facile credimus, cum in exercitu Romano eam consuetudinem fuisse constet, ut equites peditibus digni-

1) sive legionarii CIL VIII, 3260.

2) i. e. legionis, ut passim apud Arrianum.

3) veterum (Schelii, Salmasii, Ernestii) varias et incertas hac de re sententias, quas habes congestas in Tac. vol. I. p. 360 ed. Bekk., adnotare et refutare supersedeo. ceterum Madvicus suam sibi ex istis videtur contaminasse.

4) id fieri non potuisset, si equites legionis non cives Romani fuissent.

tate praestarent. eodem spectat, quod decurio equitum, quem titulus II, 1681 (n. 4) exhibet, dignus iudicatus est, qui in primos ordines centurionum promoveretur [1]).

III. de numero.

difficilius quin difficillimum iudicatu est, quo numero quaque ordinatione equites legionis per omne quo erant tempus legionibus additi fuerint.

ante omnia praemittendum erit eos numquam aut vi aut multitudine hominum videri fuisse magno opere insignes. mea sententia maxime omnium locorum, quibus quidem equites legionis nominantur, apud Tacitum (ann. IV, 73, n. 2) in pugna cum Frisiis commissa conspicui sunt, quippe quo loco ad sustentandas cohortes auxiliares Germanorum iam cedentes idonei satisque validi sint habiti. at multae legiones tum contra Frisios ductae sunt, et illo tempore singulas legiones tantum centum et viginti equites legionarios habuisse ex Ios. b. Iud. III, 6 (n. 11) certo scimus [2]). hunc unum ex Iosepho numerum si nosceremus, nemini puto in mentem venturum esse equites legionis umquam plures fuisse. atqui Vegetius numerum equitum legionis in antiqua ordinatione DCCXXVI fuisse minime suspecto, ut videtur, testimonio tradit. quod cur addubitemus, eo minus videtur esse, quod etiam quoteni equites legionis singulis cohortibus adscripti fuerint, eadem fide perhibet: scilicet ceteris novem LXVI, primae CXXXII. et Lange et Foerster Vegetio fidem habuerunt. hic (p. 9 sqq.) exponit se credere ab Hadriano numerum auctum esse. sed quod auctum tantopere numerum equitum legionariorum Hadriano pacis amantissimo atque finibus imperii pace custodiendis defendendisque maxime convenire arbitratur, si secum reputaverit satis fuisse equitum auxiliarium et alarum et cohortium equitatarum, qui peditibus associarentur quolibet numero quotcumque stationibus, ita ut cur legionis

---

1) ob id dubium non videtur, quin equites in illo titulo intellegendi sint legionis.

2) igitur si L. Apronius omnes quattuor legiones, quae tum in Germania inferiore erant (Pfitzner p. 135), cum earum equitibus legionariis contra hostes duxit — ex Germania enim superiore vexilla solum arcessita erant — CCCCLXXX fere equites legionarii illi pugnae interfuerunt.

potissimum equites augerentur, non fuerit, ne ipse quidem, puto, pro argumento habebit. hac in re peropportune accidit, quod ex fine imperii eius imperatoris, qui equites legionis mutavisse creditur — nam post Hadrianum ne cogitari quidem de quoquam alio posse omnes praeter Marquardtium recte senserunt[1]) —, ad nos pervenit testimonium fide dignissimum, ut quod ab Arriano, ipsius imperatoris legato reique militaris peritissimo perhibeatur non id quidem verbis expressis sed tacendo. cuius *ἔκτ. κατ' Ἀλ.* cum annum 136 p. C. prodat, quo anno auctor legatus Cappadociae erat (Dion. ep. LXIX, 15; cf. Renier revue archéol. 1877 p. 199 sqq.; Borghesi oeuvr. IV, 103 sqq.), sine dubio tum (brevi ante mortem Hadriani) novam ordinationem equitum legionariorum, si fuit, stare oportuit. sed cum legeris itineris rationem ab Arriano praescriptam, primum mirabere, quod tantus equitum numerus careat proprio duce (§ 4)[2]), aut saltem quod non habeant equites legionis cum electis, qui una proficiscuntur, peculiarem praepositum. at cohortes et alae habent. id quoque iure ex Arriano quaesieris, cur paullo post in acie instruenda equites legionis indignos existimaverit, quos commemoraret. at electi nominantur; equitum vero legionis, quamvis dignitate primi principesque equites sint et numerus haud exiguus, nulla mentio[3]). vides, quam non conveniat numero Vegetiano id, quod de ijs comperimus. sed fortasse accuratius certiusque probare possumus equitum legionis numerum sub Hadriano non esse potuisse DCCXXVI. inventus est in Moesia titulus (CIL III, 6178) ipse quoque ultimis Hadriani imperantis annis exaratus[4]). quo titulo enumerantur veterani legionis cuiusdam[5]), in his equites legionis, quorum nomina in cohortibus II et III et IV etiamnunc supersunt. si numerum veteranorum computaverimus et peditum cum equitum numero contulerimus, inter denos quinos fere pedites dimissos esse singulos equites videbimus. ea ratione translata in legionis numerum, si legionem hominum fuisse inter

1) nostram de hac re sententiam exponemus p. 37 n. 5.

2) cf. p. 42.

3) id quidem adeo credi non posse censeo, ut etiamsi equites legionis multo minore numero quam Vegetiano fuisse opineris, tamen fieri nequeat, quin aliquid verborum Arriani interciderit. necesse autem erat equites legionis nominarentur § 22. itaque suspicor inter '*ἔστωσαν*' et '*καὶ*' deesse '*καὶ οἱ ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἱππεῖς*'. quae verba ob similitudinem sequentium '*καὶ τῶν ἀπὸ τῆς φάλαγγος*' facile potuerunt a librario omitti.

4) circa a. 134, v. n. 16.

5) V Macedonicae (Mommsen), cf. Pfitz. l. c. pp. 86. 163, EE IV p. 528.

quattuor et quinque millia ponimus [1]), elucet tempore Hadriani summum numerum equitum legionis non esse potuisse ultra CCC [2]). at enim qui Vegetii numeros, quos ille multa cum fide, ut videtur, l. II c. 6 exhibet, explicandos putas? an illum, ut saepissime ariolatur, hoc quoque loco falsa tradidisse? non omnia ariolatus est; nam equites legionis matriculis cohortium inscriptos fuisse non modo Vegetius ipse altero loco repetit (II, 2) sed et tituli confirmant (cf. p. 39). potest autem, ut Foerster bene dixit (p. 13), summam rem recte tradere Vegetius, quamquam aliquid ficti inest numeris. quod idem accidit nostro loco. ut brevis sim, Vegetius non satis perspectum habuisse mihi videtur, qui essent equites legionis [3]), sed confudisse cum equitibus auxiliaribus [4]), quos et ipsos cum cohortales tum alares unicuique legioni additos fuisse constat. qui cum re fuerint iustus equitatus exercituum Romanorum (cf. p. 34, v. Lange p. 57), venia erit danda minus religioso scriptori. Vegetium enim arbitror legisse in libro, quem exscripsit, et equites legionis cohortibus fuisse additos et equitatum legionis fuisse circiter DCCXXX hominum. tantus quidem numerus in legionibus Caesaris solebat esse (cf. Ruestow heerwesen u. kriegfhrg. Caes. p. 25). simili ratione Vespasianus inter sexaginta milia militum circiter octo ad novem equitum (Ios. b. I. III, 4, 2) contra Iudaeos duxit [5]). hunc totius equitatus numerum Ve-

---

1) numerus vix umquam maior fuit, plerumque multo minor.

2) minor numerus evadet, si equitum non tot partes fuerint quot cohortes, de qua re v. p. 40 n. 4. si vero quis putaverit numerum maiorem iudicandum esse propterea, quod Hadrianus equites leg. III Aug. seorsum a peditibus non fuerit adlocuturus, si tam parvo numero fuissent, is cogitet etiam equites coh. VI Commagenorum propria adlocutione ab imperatore honoratos esse (CIL VIII, 2532), quamquam summus eorum numerus CCXL hominum esse poterat (Hyg. c. 27).

3) cave fallaris recta divisione quae est l. II c. 1: illo loco boni auctoris definitiones Vegetium praebere apparet. ceterum cf. Foerster (p. 3), qui equites II, 1 nominatos vult intellegi antiquos illos equites Romanos. nostrum locum ipse artificiose videtur conglutinasse. v. q s.

4) legionem et auxiliares copias in eo quoque Vegetius miscuit, quod primam legionis cohortem falsissime dicit appellari miliariam (cf. Foerst. p. 30). similiter numerat levem armaturam in legione (II, 2).

5) eam aetatem, quae est ab Caesare fere ad finem primi p. C. saeculi, l. II c. 6 prodi arguo primum eo, quod acies per cohortes instruitur, id quod Hadriani tempore evanuisse ex Arriani acie cognoscitur [iam aliquanto antea, primo saeculo vergente, phalangis ordine acies videtur instructa esse: Tac. Agric. 35; hist. V, 16; Lange p. 82; Marq. II p. 576], tum eo, quod Vegetius duplicatam primam cohortem commemorat, quam inde a Caesare numero ceteris

getius aequis et solitis portionibus inter decem cohortes legionis distribuit ita, ut ceteris cohortibus LXVI (qui est numerus duarum turmarum, quarum una erat XXXIII hominum; cf. II, 14, v. p. 40 n. 4), primae vero, ut par erat, duplum daret numerum. isto modo fieri non potuit, quin tantum legionariorum equitum numerum Vegetius efficeret. si cui minus probabile id videtur, is hac re confido fore ut convincatur, quod alio modo nullo explicari potest differentia mira et adhuc immerito neglecta, quae intercedit inter summam eam, quae fit additis decem numeris equitum, et eam, quam Vegetius ipse adfert. si enim singularum cohortium equites contuleris, in legione erunt DCCXXVI equites. at optimi codices omnes una voce confirmant fuisse in legione non DCCXXVI sed DCCXXX equites. quorum codicum fides et per se stat et eo minus addubitanda est, quod nimis facile fieri poterat, ut librariorum hic vel ille, qui quidem numerare mille sciebat et Vegetii numeros computarat, numerum verum DCCXXX sed repugnantem ipsius Vegetii divisioni immutaret in DCCXXVI. hoc quod non fecerunt, laudi tribuimus librariis; Vegetius vero ut sibi imprudenter egit, sic nobis reliquit vestigium, quo possimus verum indagare. si rationem inisset, mutaret oportuit numerum, quem auctor praebebat DCCXXX. sed ne tantum quidem prudentiae adhibuit[1]).

IV. de ordinatione.

quod si vidimus neque post Hadrianum neque sub eius imperio nec ante eam aetatem equites legionis tot quot Vegetius dicit, verum per totum quo erant tempus eiusdem fere numeri videri fuisse[2]), id

---

praestitisse (b. c. III, 91) atque ab Augusti aetate altero tanto maiorem fuisse veri est simile (Marq. II p. 585).

1) non opus erit dictu rei gnaris, si, quae a nobis disputantur, vera sint, ultimam perire spem cognoscendi ex Vegetio, quae Hadrianus in re militari novaverit.

2) neque vero negaverim interdum in singulis legionibus pro rei opportunitate per aliquantum temporis eos auctos quin duplicatos etiam esse, ut supra ex CIL III, 6178 maiorem solito numerum ratiocinando videmur effecisse. quam ob rem omni tempore in omnibus legionibus certum et definitum numerum fuisse haud crediderim. non immerito igitur apud Spartianum (Carac. c. 6) nominantur 'equites extraordinarii' (cf. p. 42 n. 5). sed tamen cavendum

quoque veri simile esse negabimus fuisse tempus, quo equites legionis in aliam atque antea ordinationem redigerentur. Hadrianus enim licet alia permulta et in re publica administranda et in re militari novaverit, tamen equitum legionis ordinationem mutavisse eamque ita instituisse, ut equites leg. singulis centuriis insereret (Foerster p. 10), falso mihi quidem videtur credi. causae vero mutationis allatae sunt: quod numerus DCCXXVI bene conveniat LX centuriis legionis; deinde quod praetorianorum equitum ordinatio fuerit eadem; denique quod ad fines pace custodiendos et defendendos in singulis stationibus equitum cum peditibus coniunctio necessaria fuerit. sed cur potissimum equitum legionis (cf. p. 35)? dein nonne vel eo, quod apud Hyginum qui dicitur praetoriani leguntur equites, nulli vero equites legionis, efficitur non fuisse semper eundem statum utrisque? de numero vero DCCXXVI supra satis disserui. et si fuisset is numerus, casu fit, ut duarum turmarum numerus (cf. p. 40) dividi possit inter sex centurias; quae quidem fuerintne deciens senae tempore Hadriani, in dubium nuper a Mommseno vocatum est, qui legiones inde ab illius aetate LXIV centurias et LIX centuriones habuisse probare studuerit (EE IV p. 228). denique quam fingamus utilitatem equitum in centurias peditum divisorum? in castris? at equites et pedites tendebant separatim. in itinere? numquam quisquam dux equites passim peditibus insertos proficisci aut iussit aut iubebit. in acie? at instruebantur equites in cornibus. in nominibus inscribendis? sed erant matriculae cohortium[1]) non centuriarum. sed enim fortasse Vegetius ipse eam divisionem intellegit dicens (III, 8) de singulis centuriis quaternos equites et quaternos pedites excubitum facere, ita ut ternis horis interiectis alii succedant; id quod quater nocte repetitur. cum Vegetius de centuriis loquatur, equites nulli nisi legionarii (auxiliares enim in turmas divisi erant) intellegi possunt. ergo de singulis legionibus unaquaque nocte sexagiens quaternos (CCXL) idque quater i. e. DCCCCLX equites legionis excubare facit. atqui legio secundum eundem Vegetium dumtaxat DCCXXVI equites habuit. necesse igitur erat singuli equites singulis noctibus ternas horas

---

est, ne uni legioni attribuamus alteri abiudicemus; immo non tantum in iis legionibus fuisse equites legionis, quae inde ab Augusti aetate erant, docent inscriptiones, verum eas etiam, quas duobus saeculis post Septimius Severus formavit, suos equites habuisse titulus CIL VI, 3409 (n. 26) testatur.

1) Veg. II, 2; CIL III, 6178. VIII, 2576.

et paullo plus in vigiliis essent. quod qui praestare pollebant, stipendiis peractis aptissimi sane erant muneri vigilis suscipiendo[1]).

Vegetium igitur deprehendimus falsa tradentem. sed ignoscamus ei[2]); si alio loco vera docet, etiam gratiam habeamus. ac profecto primi libri c. 27 extat fragmentum ex praeceptis illius[3]) servatum, qui equites legionis in centurias divisisse dicitur. is vero equites suos ambulare iubet divisos per turmas. eo loco cum omnes equites eadem ratione proficisci iubeantur, legionarios quoque equites turmatim profectos esse iure suspicabimur. et cum quis l. II c. 14 legerit, si quidem de equitibus leg. ibi agitur[4]), eq. leg. in turmas divisos fuisse non dubitabit credere.

non mirer, si quis, cum dubia Vegetii fide omnia posse videantur defendi, etiamnum ambigat, fuerintne revera equites legionis in turmas divisi necne. omnem vero dubitationem persuasum habeo fore ut pellat, si quis nomina vexillationis XI Claudiae perlustraverit (EE IV p. 524). inveniet enim extremo laterculo decurionem (cum equite[5])). quem non potuisse nisi turmae praeesse constat. is titulus

---

1) praeterquam quod nemo hominum tali officio satisfacere potest, supra docuimus equitem leg. maiore dignitate fuisse quam peditem. ob id maioribus commodis frui debebat; Vegetius vero laboribus onerat totiens maioribus, quotiens numero pedites praestabant.

2) ipse se id quod scripserit non satis intellexisse fatetur: 'descriptio si obscurior aut impolitior videbitur, non mihi sed difficultati ipsius rei convenit imputari' (II, 4).

3) ex constitutionibus Hadriani, quae si non ipsae certe per Tarrutenium Paternum Vegetio (I, 8) notae erat. cf. M. Schanz Herm. XVI p. 137 sqq.

4) vulgo intelleguntur equites legionis, et pleraque conveniunt. offendit tamen, quod decurio mittit sagittas (Foerster p. 45). quod supra (p. 37) vituperavimus, hic quoque occurrit. miscet enim Vegetius equitum genera neque solis de legionariis aut solis de auxiliaribus loquitur sed confundit utrosque. consilium sane Vegetii postulabat, ut unos legionarios commemoraret; quod quam non secutus sit, demonstrat Foerster (p. 23). turmae equitum legionis num hominum XXXIII fuerint, dubium sed non incredibile videtur: summus vero est is numerus iudicandus neque solitus et constans, aut credendum CXX equites, quos primo saeculo invenimus, non in X sed in IV turmas fuisse divisos. non enim necesse est quot cohortes peditum tot turmas equitum fuisse — quamquam plerumque videntur fuisse, quoniam eq. leg. matriculis cohortium inscripti erant (cf. p. 39). apparet tamen numerum istum ex turmis alarum petitum esse, quae XXXIII equites continere solebant (cf. CIL VI, 228). non recte Foerster, qui (p. 10) probare studuerit eq. leg. in centurias distributos fuisse, hoc caput ad equites legionarios refert (p. 45), quia non simul in turmas et in centurias dividi potuit.

5) conicio tria (quattuorve) equitum legionariorum nomina deesse, si modo (p. 36) recte statuimus numerum equitum legionis solere decimam et quintam fere esse partem militum legionis.

eo pluris aestimandus est, quod septendecim annis post Hadriani mortem scriptus (v. n. 18) luculentissime redarguit illum imperatorem equites legionis centuriis addidisse, quandoquidem quae Hadrianus in re militari constituisset, ad sua tempora vim legis obtinuisse Dio narrat (LXIX, 9; cf. Aur. Vict. 14 § 11)[1]. iam cum non modo turmas sed etiam decurionem equitum legionis, qui fuerit post Hadrianum[2], invenerimus, non alienum erit ordinationem, qualis praeterea fuerit, persequi. exercitatorem eq. leg. XVI fortasse praebet Orelli n. 3499[3]. atque aecum est non deesse optiones equitum (CIL VIII, 2568, 18). et cum equites leg. seorsum tetenderint, profecti sint, pugnaverint, signum quoque peculiare habuisse censendi sunt; itaque opportune accidit, quod non signifer quidem sed, id quod maius est, vexillarius equitum leg. nobis occurrit CIL III, 4061 (n. 12) et CIL VIII, 10629[4]. sperandum igitur fore aliquando, ut duplicarius et sesquiplicarius quoque in lucem prodeant[5]. atque cum centuriones legionis cum equitatu nullo modo fuisse coniunctos sed equites habuisse proprios praepositos ostenderimus, primo oculorum obtutu offendimus, quod nihilo setius CIL III, 1590[a] equites legionarii lapidem ponunt 'Placidae reginae per Proculo principe et Gaio optione' (v. p. 31). sed cum Vegetius dicat (II, 8) ad principem prope omnia, quae ordinanda essent, pertinere, cumque eidem principi soli ex centurionibus praeter optionem etiam adiutorem et librarium tribui Mommsen (EE IV pp. 231. 232) observaverit, in erroris discrimen non incurremus, si principem non solum militum sed equitum etiam legionariorum actis librisque praefuisse coniecerimus[6]. ob eam rem eis, quos Mommsen illi vindicavit

---

1) itaque non possum, quin in tit. VIII, 2593 [ceterum temporis incerti esse adnotavimus p. 32] centuriae signum aut ab eo, qui titulum scripsit, aut ab eo, qui descripsit, errore additum esse putem. lego igitur titulum ita: Aelius Severus eq(*ues*) leg(*ionis*) III Aug(*ustae*) (*turma*) Iuli Candidi *e. q. s.*

2) ante annum 43 fuit decurio tituli CIL II, 1681 (n. 4).

3) cf. CIL III, 3470. Foerster p. 45 n. 2.

4) bene Cauer (EE IV p. 364): 'ei equites, qui vexilla equitum legionariorum gerebant, ut a signiferis cohortium [? cf. EE IV p. 360 n.] aut centuriarum distinguerentur, vexillarii dicebantur'.

5) igitur non est, cur equites legionis non interfuisse opinemur exercitationibus, quae ab Arriano fine artis tacticae describuntur, quibus finitis renuntiantur *δεκαδάρχης* [decurio] *πρῶτον καὶ διμοιρίτης* [duplicarius] *ἐπὶ τούτῳ καὶ ὅστις ἐν ἡμιολίῳ* [sesquiplicarius] *μισθοφορεῖ* c. 42.

6) memineris matriculis eisdem et pedites et eq. leg. inscriptos fuisse (p. 39).

quasi subditos, actarium iure addemus, qui cum equitibus legionis VII geminae Caracallae titulum dedicat (II, 2663, n. 27)[1].

unum restat. dixerit quispiam equites legionis etsi matriculis cohortium inscriberentur[2]), etsi rebus eorum administrandis centurio legionis, qui vocatur princeps, praeesset, tamen peculiarem partem legionis et in itinere et in pugna fuisse atque propria in turmas divisione usos, si recte supra disseruimus. licet ergo non fuerit eorum numerus tantus, quantum Vegetius videtur indicare sed quantum nos docuimus, ducem tamen aliquem summum habuerint necesse est. iam recorderis supra miratos nos esse et apud Iosephum et apud Arrianum equites legionis sine duce proficisci propriumque praepositum non habere praeter summum copiarum ducem, qui sit omnibus vel legionis vel exercitus partibus praefectus. et re vera alius non videtur fuisse, sed legatum legionis et proprium et summum ducem equitum fuisse credo. ob eam rem profecti et instructi esse non longe a legato legionis, sive cum plures legiones erant, prope ducem exercitus videntur (cf. Ios. b. I. III, 6; Arr. ἔκτ. κατ' Ἀλ.). huis rei testis videtur esse titulus CIL V, 3334, n. 1. nam praebet 'praefectum equitum pro legato'. si vero quis equitibus praefectus pro legato fuit, legatum apparet equites illos solitum esse regere[3]). id obtinuisse puto usque ad Septimium Severum. etenim docuit Wilmanns (EE I p. 104) a Septimio Severo 'praefecti castrorum' et nomen conversum in nomen, quod est 'praefectus legionis', et potestatem videri auctam esse (cf. Hirschfeld unters. auf d. geb. d. roem. verwaltgsgsch. p. 249, 5). quae si vere disputata sunt (et esse omnes consentiunt), ea quoque re potestatem eius crevisse censeo, quod regimen equitum legionis, quod legatus legionis antea tenuerat, ab illo tempore ad praefectum legionis[4]) delatum est (cf. Spart. Carac. c. 6[5]), n. 28). denique non

1) cf. III 1590ª; EE IV p. 450 E quaeque adnotavit Huebner ad II, 2663.

2) semel (EE IV p. 525) in vexillatione extra ordinem cohortium recensentur.

3) forsitan quispiam dubitaverit, sintne legionarii equites necne, praesertim cum mihi obici possit titulum spectare notas illas militias (Suet. Oct. c. 38, Claud. c. 25). sed si essent equites alares, 'pro legato' sensu careret, cum qui praefectus equitum alarium est, non sit 'pro legato'. intellegendos igitur censeo equites, quibus legatus legionis ipse solebat proprie praeesse.

4) sic confirmatur et habet, quo nitatur, id quod suspicatus est Wilmanns (l. c.): 'fortasse potestate [praefecti legionis] muneribusque eius auctis ita ut, quae praefecto adderet [Septimius Severus], demeret legato'.

5) 'equites extraordinarios' eo loco pro equitibus legionis dici vix quis-

spernenda Vegetii verba memoriae mandantis praefecti legionis praecepto equitum etiam legionariorum exercitationem curari (II, 9).

---

quam negabit. alares enim minime dici possunt extraordinarii, potius legionarii (p. 38 n. 2). atque quibus aliis aptius praefuisse eum suspicemur, qui haud ita multo post omnia legati legionis officia omnemque potestatem obtinebat inque eius locum successit (cf. Wilm. l. l. p. 102)? — sed cur id munus, si fungebatur praefectus legionis, ei a Spartiano expressis verbis adsignatur? puto ideo, quod auctor Spartiani [videtur esse Marius Maximus, cf. I. I. Mueller in 'Bueding. unters. z. roem. kaisergsch.' III pp. 94. 98 sqq.] non multo post novam (Septimi) ordinationem prodierat, quo tempore illud munus, utpote novum, in praefecto legionis potuit notari.

vita.

natus sum Sebastianus Dehner a. d. XVII. kal. Ian. anni h. s. LIIX Grosselfingae, qui vicus sub radicibus montis 'Hohenzoller' prope Hechingam, olim caput principatus 'Hohenzollern-Hechingen', situs est, patre Alberto matre Helena ex eadem gente, quibus adhuc superstitibus gaudeo. cum parentes mei principibus illum pagum obtinentibus nati sint, ego Borussus natus sum. fidei adscriptus sum catholicae. litterarum elementis imbutus primum missus sum Hechingam vere a. LXXI, cuius scholae superiori tunc florenti praeerat E. de Sallwuerk, nunc Carlsruhensis. deinde migravi Sigmaringam autumno a. LXXII et gymnasium Hedingense rectore Stelzer, postea directore Syrée, viro in me humanissimo, sex annos semis frequentavi. vere a. LXXIX maturitatis testimonium adsecutus adii Musarum sedem Rhenanam, cuius civis ab illo tempore fui. docuerunt me viri clarissimi Aufrecht, Bernays, Birlinger, Buecheler, Klein, Luebbert, Maurenbrecher, Menzel, Meyer, Neuhaeuser, Ritter, Schaefer, Usener, Wilmanns. in seminarium philologicum receptus sum Buecheleri, Luebberti, Useneri benevolentia. seminario historico ut interessem, Schaefer et Ritter benignė concesserunt. quibus viris omnibus, imprimis Buechelero, Luebberto, Schaefero, Usenero, gratias ago debitas pioque memoriam colam animo.

secunda fortuna mihi contigit, ut per hos quibus commorabar Bonnae quattuor annos C. N. Fabricii, regis ab intimis in re metallica consiliis, qui filium mihi erudiendum tradidit, eiusque familiae consuetudine uterer periucunda. quorum erga me benignus animus atque benevola comitas est eritque semper carissima mihi dulcissimaque memoria.

sententiae controversae.

1. tralaticius error inest in Ios. b. I. III, 5, 1: *τὸ δ' οὐκ εἰκαῖον οὐδ' ἀνώμαλον* [sc. *τὸ στρατόπεδον*] *ἐγείρουσιν* [sc. *οἱ Ῥωμαῖοι*] *οὐδὲ πάντες, ἢ ἀτάκτως διαλαβόντες, ἀλλ' εἰ μὲν* .... legendum nempe est: *οὐδ' ἔπαντες.* cf. Hyg. § 56.

2. Arr. a. tact. c. 35 § 2 lego: *σημείοις δὲ διακεκριμένοι* [*διακεκριμένοις* codd. et edd.] *ἀπελαύνουσιν.* (cf. ibid. § 5: *διάκρισις τῆς ἐπελάσεως.*)

3. Hyg. de castramet. c. 2: 'quotiens latitudo duplicatur, longitudo pariter minuet.' sic recte cod. Arcerianus. falso immutaverunt editores in 'minuetur'.

4. CIL VIII, 647. versus ultimi lacunas sic suppleo: et [*suu*]m [*Max*]im[*u*]m pudore solo comitabatur suo.

5. CIL VIII, 2756. titulum contineri tredecim hexametris vulgaribus et circa annum 300 p. C. scriptum esse censeo.

6. CIL VIII, 2005. et acrostichon et telestichon (et fortasse ipsum titulum) constare hexametris vulgaribus suspicor.

7. summa hexametri vulgaris lex est non depravatio heroici hexametri sed commixtio rhythmi dactylici (posteriore hemistichio) cum rhythmo trochaico (priore hemistichio) simul accedente verborum accentu.

8. a) prologus auctori aenigmatum, quae feruntur Symposii nomine (Anth. Lat. ed. Riese I p. 187), abiudicandus est.

   b) Riese Symposium duas recensiones aenigmatum fecisse iniuria contendit (zeitschr. f. oest. gymn. 1868 p. 483 sqq.).

9. Octavia etiam artiores leges elisionis quam Senecae tragoediae sequitur.

10. Anth. Pal. IX, 80 falso codex Pal. Leonidae Tarentino adscribit. epigr. tribuendum est Leonidae Alexandrino; est enim *ἰσόψηφον* (numerus est 6501).

11. Antiochus Ascalonita iniuria a Cicerone vocatur 'germanissimus Stoicus, si perpauca mutavisset' (Ac. pr. II, 43); praesertim Antiochi de summo bono sententia a Stoicis discrepuit.

12. Ragewinum novisse Florum elucet ex fine prologi (lib. III gest. Friderici, Mon. Germ. t. XX p. 416, vv. 24. 25. 26. 27), qui finis ex Flori epitomae initio formatus est. ob eam rem neque omnia conveniunt in Fridericum, neque temporis indicium inde conligere licet. ibidem scribendum est 'tantum operum' pro eo, quod legitur 'tantum opere' reiecta codicum quamvis optimorum et fere aequalium auctoritate.